

RESPONSUM

AD

QUÆSITUM

ACADEMIÆ

BRUXELLENSIS.

PRÆMIUM ANNI 1785.

REVERENDI DOMINI

CORNELII SMET,

PRESBYTERI,

RESPONSUM

AD QUÆSITUM,

Quo jure Hermannus, maritus Comitissæ Richildis, Comes Hannoniæ fuerit, suóne an jure uxoris?

Cui palmam detulit Cæsarea Regiaque Bruxellensis Academia, anno 1785.

Nullo discrimine sexûs
Fert Dominos Hainoa suos........





BRUXELLIS,

TYPIS REGIÆ ACADEMIÆ.

M. DCC. LXXXV.



PROLOGUS.

QUÆSTIONEM hanc utì nec ſolutu facilem, ſic illuſtrandæ Hiſtoriæ Belgicæ perquàm utilem eſſe cenſebunt, quicumque animum vel leviter advertèrint. Medio ſeculo undecimo Hannonienſium Comitiſſa, ut vocant, Richildis Hermanno nupta fuit, quem *Hermannum Montis, qui Caſtrorum locus dicitur, Comitem* nuncupat Anſelmus (*a*) Canonicus Leodienſis, his conjugibus æqualis auctor. Quin adeò ſi coævi itidem ſcriptoris, poſtea pluribus memorandi, Lamberti Schafnaburgenſis verbis ſtare liceat, Comitatum Richildis *dotis nomine* ab Hermanno acceperat: ſi Giſleberto Chronicæ Hannonienſis auctori præclaro fides eſt, Hermannus *poſt quàm plures Comites Comitatum Hanonienſem jure hereditario poſſedit*, poſtque ejus obitum Richildis *totam terram Hanonienſis Comitatûs tam de jure dotalicii, quàm de procuratione puerorum ſuorum tenuit.* Hanc viduam uxorem duxit Balduinus VI Balduini V, cui *Inſulani* nomen fuit, Flandriæ comitis filius, qui proin *utrumque Comitatum tenebat, Flandrenſem per patrem, Hainonenſem per Richildem*, utì loquitur An-

(*a*) Apud Chapeavillum, tom. I, pag. 298.

a ***

dreas Sylvius uno vel altero ſeculo Richildi poſterior. Id jam quæritur, ſuóne Hermannus jure, an uxorio Hannoniæ Comes exſtiterit. Multa diverſi generis hîc examinanda occurrunt. Comitatus Montenſis & Hannonienſis unúſne eſſet, an duplex? quinam ante Hermannum provinciam eam rexerint? utrúmne ab iis Hermannus, an uxor ejus traxerit originem? quòd ſi uxor potiùs, an heres illa? nec bonorum tantùm quæ allodia vocantur, ſed & muneris atque honoris? nempe ut verbis hac in re jam uſitatis utar, an Comitatûs beneficium non eſſet ad nutum ſuperioris domini revocabile? immò quamvis hereditarium fuiſſe oſtendatur, an etiam filiæ defectu prolis maſculæ in feudum ſuccederent? an auctores, qui de Richildis hereditate in diverſas videntur abire ſententias, conciliari inter ſe queant, & quibus denique adſtipulandum potiùs ſit? Ea autem omnia ſi quis negotio quidem plena, at infructuoſæ notitiæ eſſe exiſtimet, næ is omnem rerum præteritarum cognitionem flocci pendat, à viris præclariſſimis tantopere celebratam, ut nihil hîc à me addi oporteat. Ceterùm cùm propoſita quæſtio (quamquam nec magìs perſpicuis verbis nec ſimplicioribus proponi ulla poſſet) tam multifaria tamen contineat; ego lucubratiunculam meam in varios paragraphos dividendam judicavi, quorum capita ſimul pro reſponſionis compendio ſint. Et quia ita brevitati conſulendum, ut tamen

aptis probationibus ac præcipuè Hiſtoricorum auctoritate omnia ſtabiliantur; ipſa auctorum verba contextui orationis meæ inſerui : ne ſi ad paginæ marginem aut calcem rejicerentur, bis res eadem diceretur, non ſine legentium tædio & præſcriptorum limitum tranſgreſſione. Ita quidem ſtili cura nulla habita eſt, atque ex conſutis quaſi centonibus inamœnum opus fit : verùm exiſtimavi, ab illuſtri Academiâ non tam orationem politam, quàm argumenta breviſſimè collecta poſtulari.

FINIS PROLOGI.



RESPONSUM
AD
QUÆSITUM

Quo jure Hermannus, maritus Comitissæ Richildis, Comes Hannoniæ fuerit, suóne an jure uxoris?

§. I.

Raginerus, pater Richildis, fuit Comes Hannoniæ.

I. ANTE Hermannum Richildi nostræ connubio junctum, de cujus in Hannoniam jure controversia movetur, ex ordine Comites Hannoniæ Ragineros seu Raineros tres recenset Jacobus Guisius (a); Miræus (b)

Ragineri quinque in Hannonia: cur de singulis hic agatur.

(a) Jacobus de Guise, Ordinis S. Francisci Theologiæ professor de rebus Hannoniensibus Latinè scripsit. Ejus opus anonymus anno 1446 in linguam Gallicam transtulit, multa tamen interpolans, quæ lucem allatura videbantur, uti in præfatione suâ interpres fatetur. Sequor Annales Gallicè redditos, volum. 3, cap. 1.

(b) Miræus Notitia Eccles. Belg. cap. 47. Diplomat. Belgic. editionis anni 1723, pag. 667.

& cum eo multi Ragineros quatuor; alii (c) etiam ejusdem nominis ac prosapiæ comites quinque computant. De singulis nonnulla commemorare necessarium duxi: neque una me impulit ratio, ut rem adeò altè repeterem. Frustrà atque incassùm ostenderetur, ex his Comitibus Richildem ducere originem, nisi postremus saltem Raginerus eâ potestate præfuerit, ut in prolem suam regimen transscribere ei fas esset; quo vitam agente, non omnes Comites ac Duces jure hereditario provincias aut pagos tenebant. Scilicet quantùm collaborabant hi, ut munus ac dignitatem stirpi suæ in perpetuum assererent, tantùm ex adverso vires intendebant Reges atque Imperatores, ut pro libitu aut rerum certè exigentiâ Duces ac Comites officio amovere possent: quâ quidem in re vario eventu certatum est. Præterea cùm hereditariam in feuda successionem à Galliæ priùs quàm Germaniæ regibus comites vel consecuti fuerint vel extorserint, eâdem ego operâ examinaturus sum, Galliæne an Germaniæ regno obnoxia Hannonia tum esset. Tandem de sanguinis vinculo, quo Balduino Richildis obstricta fuit, hoc paragrapho disputabo, sic quidem prolixiori quàm vellem, sed quem hisce de causis non inutilem, neque à quæstione alienum spero judicatum iri.

Raginerus I Hasbaniæ & Hannoniæ Dux.

2. Raginerus primus, ab iis qui quinque agnoscunt, censetur, quem Dudo congregationis S. Quintini Decanus (d) seculi X auctor *Raginerium Longi-colli* & paullò pòst *Rainerum prolixi-juguli* nominat, at non

(c) Butkens Trophées de Brabant. liv. 2. chap. 10. L'Art de vérifier les dates. pag. 632, édition de l'an 1770.

(d) Dudonia scripta edidit Andreas du Chesne volum. cui nomen: *Historiæ Normannorum Scriptores antiqui*. Lutetiæ Parisiorum 1619. Verba citata exstant pag. 74.

ſolius Hannoniæ Comitem, ſed *Hasbacenſem & Hainaucenſem Ducem.* Hunc, narrante eodem Dudone, Rollo Daciæ Regis major natu filius circiter annum à Chriſto nato 875, multis prælîis pulſum tandemque captum vinculis tradidit, mox tamen ſupplicante ac munera offerente Ragineri uxore, libertati reſtituit inquiens : *Raginere Dux, miléſque aſperrime, regúmque & Ducum atque Comitum ſuperbo ſatus ſanguine... Sit... ſempiterna inter me & te pax & amicitia.* Non alius habetur ab eo, quem Regino (*e*) *Reginarium* Zundibolchi (Zuentiboldi Lotharingiæ regis) *Ducem fidiſſimum & unicum conſiliarium* nuncupat, *quem tamen* Zundibolch, *neſcio cujus inſtinctu*, ait Regino, *à ſe repulit, & honoribus, hæreditatibus, quas in ſuo regno habebat, interdictis, eum extra regnum infra X dies ſecedere jubet.* Aliorum adjutus copiis Raginerus ſe ſuáque invictè tuitus eſt, prout ex eodem Reginone percipimus : quin ipſum dein Zuentiboldum regno expulerunt, & Ludovico Germaniæ regi dederunt ſe Lotharingiæ proceres. Ludovico fatis functo, regi Francorum Carolo (cui *Simplicis* cognomen) ſubjecta fuit Lotharingia, opem in id præcipuam conferente Raginero. Eum propterea quanti fecerit rex Carolus, ex veteri ſcriptore Gallico refert Conradus, abbas Uſpergenſis (*f*) his verbis : *Hac tempeſtate Regenherus vir nobilis partium Caroli fidiſſimus tutor finem vitæ accepit, cujus exequiis Carolus interfuit. Hiſque peractis Giſiberto* (poſtea *Giſlebertum* ſcribit) *ejus filio jam adulto paternum honorem coram principibus, qui confluxerant, liberaliſſimè contulit.*

(*e*) Regino in Chronico ſuo, ad annum 898.

(*f*) Conradus floruit circa annum 1230. Laudata verba leguntur pag. 152 in editione Argentoratenſi anni 1609.

Raginerus II filius Ragineri I. 3. Prætcr Gislebertum, Ragineri I filius fuit Raginerus II paternorum honorum cum fratre heres: de eo enim Frodoardus in Chronico suo (*g*) ad annum 924 hæc habet: *interea Gislebertum Berengarius, qui sororem ipsius habebat, comprehendit, quemque oblatis obsidibus sibi pro eo filiis Ragenarii fratris ipsius Gisleberti dimisit. Idem verò Gislebertus dimissus terram Berengarii Ragenariique fratris sui & Isaac Comitis deprædationibus pluribus vastat.* Inter fratres anno 928 pacem initam fuisse, idem Frodoardus subjungit. Ego pro re meâ duo hic observo: alterum est, terram seu ditionem Ragineri II Hannoniam fuisse; nam Raginerus IV ejus nepos Hannoniam recuperans *in terra patrum suorum relocatus* scribitur ab auctore infrà num. 6 citando: alterum est, Raginerum II hereditario jure provinciæ suæ videri præfuisse, cùm feuda regnante Carolo rege (*Simplice* cognominato) jure patrimonii possiderentur: posterius hoc latiùs edisseram alio paragrapho; de Hannoniæ comitibus nonnulla colligere prosequor, quæ in sententiam meam existimo magno usui fore.

Raginerus III Comes Montensis & Hannoniensis 4. *Post mortem Karoli regis* (*Simplicis*, anno 929 defuncti) *nolentibus Lotharingis Heinrico Regi* (Germaniæ, ejus nominis I) *subesse, quidam Lotharingus nomine Christianus, simulatâ infirmitate, Gislebertum Ducem* (Ragineri I filium) *ad se dolo evocatum cepit Regique misit, ut per eum Lotharingiam sibi subjiceret. At Rex* (Henricus) *inspectâ industriâ & potentiâ Gisleberti, filiam suam Gerbergam ei despondet, & eum iterum Lotharingiæ præficit.* Hæc Sigebertus in chronico

(*g*) Frodoardi Chronicon edidit Andreas du Chesne Lutetiæ Parisiorum anno 1636; & Bouquetus tom. 8. à pag. 76, qui in præfat. pag. xv, asserere non veretur, nullum eo esse accuratius.

ſuo ad annum 927 refert, quamquam biennio pòſt acciderint; ſed de chronotaxi lis movenda hic non eſt. Notâſſe ſufficiat, à quo tempore in Lotharingos dominati ſint Germaniæ reges. Anno 936, qui Henrico emortualis fuit, filium ejus Ottonem I elegerunt Germaniæ & Lotharingiæ Optimates, inter quos Dux Giſlebertus inſignem locum occupavit (*h*); ſed non diu Ottoni fidelis perſiſtens, regnandi enim cupidus perpetuis bellis vitam traduxit. Duce è vivis ſublato rex Lotharingiam Ottoni comitis Virdunenſium filio gubernandam commiſit, poſtea Conrado Franconiæ duci, ac tandem Brunoni fratri ſuo Colonienſium archiepiſcopo, anno Domini 953. Circa id tempus comitem Montenſem ſeu Hannonienſem fuiſſe Raginerum, omnino conſtat. Fidem in primis facit Sigebertus in chronico ad annum DCCCCLVI. hæc ſcribens: *Ratherio ab Epiſcopatu Leodicenſium ejecto, Baldricus, annitente avunculo ſuo Raginero Comite Montenſi, epiſcopus ſubſtituitur.*

5. Qui Comes Montenſis Sigeberto eſt, cum Hannonienſibus præfuiſſe docet auctor libelli Abbatum Gemblacenſium (*i*) de Erluino primo Abbate memorans, *ſingulari amicitiâ confœderatum* eum fuiſſe *Raginero Comiti, qui ob proceritatem corporis cognominabatur Longi-collus, qui tunc temporis principabatur Haginoenſibus.* Ac ne putes de Raginero I ſermonem fieri, ſubditur: *Hic Baldrici Leodienſis epiſcopi avunculus fuit.* Ceterum in verum inquirenti nihil diſſimulatione opus eſt: quapropter adjungere lubet Raginerum hunc aliquando Hannoniæ regimine exci-

à Brunone Archiepiſcopo in exilium pulſus.

(*h*) De hac electione ſcitu digna narrat D. Des Roches in epitome Hiſtoriæ Belgicæ, parte I, pag. 253.

(*i*) In Spicilegio Dacherii Pariſiis edito anno 1664, pag. 513.

diſſe, quamquam id fortè in argumentum aſſumpturus ſit nonnullus, ut oſtendat, jus ſucceſſionis in familia Ragincrorum vel nullum tum fuiſſe vel admodum vacillans ac debile; ut adeò Hermannus, licèt alienâ è ſtirpe genitus, donari Hannoniâ ab Imperatore potuerit; & Richildis ſolo mariti jure Comitiſſa habeatur. Itaque Fulcuinus abbas (*k*) ejuſdem comitis corruptam indolem ac ſortem funeſtam quidem ſed promeritam depingens, cùm dixiſſet: *Baldericus Eccleſiæ Leodienſi præerat, is avunculum ſuum Raginerum unicè colebat, &c.*; addit ſequentia: *Raginerus tyrannidem multiplicat, pauperes premit, & res eccleſiarum non Dei ſed ſuas facit: pro quibus omnibus à Domino Brunone verè pacifico apud ſanctumSalvium evocatus, confeſſus & læſæ Regiæ majeſtatis convictus reus, proſcriptus eſt ac perpetuo exſilio deportatus.* Damnationis cauſam aliam, ſed nec propterea falſam chronico ſuo ad annum DCCCCLIX inſeruit Sigebertus: *Bruno Archiepiſcopus & Archidux Lotharingiæ ſecundas partes in regno fratris ſui* (Othonis I) *potenter & induſtriè adminiſtrans Raginerum Montenſem Comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas evocatum capit, & irrevocabili exſilio damnavit, pro eo quòd regnum bellis inquietabat, vel quod verius fuiſſe dicitur, pro eo quòd mortuo Giſleberto Duce conſanguineo ſuo, ea quæ Giſlebertus uxori ſuæ Gerbergæ ſorori Imperatoris in dotem contulerat, violenter ei auferre præſumebat. Bonis Ragineri ad fiſcum publicatis, filii ejus Raginerus & Lambertus ad Lotharium* (*l*) *Francorum Regem confuge-*

(*k*) Fulcuinus de Geſtis Abbatum Lobienſium, in citato Spicilegio pag. 572. Fulcuinus abbas factus fuit anno 965, eodem, quo Archiepiſcopus Bruno diem clauſit ſupremum, ut ipſe nos docet ibid. pag. 575.

(*l*) Lotharius fuit rex Francorum ab anno 954 ad 986.

runt. Miræus hunc Raginerum Lamberti & Ragineri patrem, ejus nominis secundum; Butkens (*m*) tertium computat. Cur & ego tertium judicem, præter Butkeni rationes hæc accedit, quod apud laudatum chronographum Gislebertus Dux (nempe Ragineri I filius) hujus Ragineri non frater sed consanguineus audiat.

Raginerus IV Lamberti Lovaniensis frater.

6. Ad Raginerum IV Lamberti fratrem pervenimus, qui an comitatum Hannoniensem & quomodo recuperaverit, plurimum intereſt cognoscere: & eo quidem accuratiùs tractanda res, quo propiùs ad Richildem accedimus. Baldericus (*n*) Chronici Cameracensis auctor gravis & doctus, quid de Comitatu actum sit, his verbis narrat: *Archiepiscopus Bruno, qui sub fratre monarchiam tenebat, Rainerum pro insolentiis, pro rapinis, pro Ecclesiæ incussionibus, &c. exilio perpetuo damnatum fratri contradidit, terram suam* (*ejus*, quæ vox in margine substituitur) *primùm Richario nobili viro, sed hoc defuncto, Warnero & Raynaldo, quibus etiam defunctis, Godefrido atque Arnulfo Comitibus nobilissimis contulit, filiósque ejus præfatos à patriis finibus pro eisdem insolentiis eliminavit. Illi* (Reinerus & Lambertus, de quibus antea egerat) *auditâ morte Imperatoris* (Othonis I anno 973 defuncti).... *patrios fines regressi terram Patris violenter volentes repetere, super Hagnam flu-*

(*m*) Butkens Trophées de Brabant, liv. 2, chap. 8.

(*n*) Baldericus Tervannensis Ecclesiæ Cantor, certè non Episcopus Noviomensis & Tornacensis, hujus Chronici auctor jam censetur, uti tom. XI continuatores Bouqueti tum in Præfat. tum pag 122. Bouquetum & sese met ipsi corrigentes admittunt. Balderici obitum alligant anno 1095, aut huic vicino. Laudata verba exstant lib. I, cap. 94.

vium castrum Bussud (*o*) *munierunt, ibique satis & supèr, dum licuit, sævierunt. Hoc autem juvenis Imperator* (Otto II) *audiens, collecto exercitu, castellum obsidione clausit, diruit, captosque rebelles in exilium misit.* Paucis interjectis, alterum eorum conatum bellicum describit Baldericus : *Interea prædicti fratres Rainerus & Lantbertus.... in partes Karlensium* (Francorum) *concedentes Karolum Regis Lotharii fratrem pravis moribus deditum, pariterque Ottonem Alberti Vermandensium Comitis filium cum aliis quoque multis raptoribus suo auxilio adsciverunt.... His ergo fulcientibus atque comitantibus .... ad Montem Castrum properatò contendunt, ibique anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXVI super fideles Imperatoris, Comites, videlicet Godefridum atque Arnulfum, facto impetu, irruerunt,* verùm irrito labore, prout Baldericus prosequens exponit. Hanc pugnam ad eumdem annum chronico suo consignavit Sigebertus Gemblacensis, nec feliciorem armorum successum Raginero & Lamberto tribuit; sed quod hisce fratribus tum negavit fortuna belli, id concessit regiminis in Lotharingia immutatio. Audiatur eâ de re Sigebertus ad annum 977 : *Ducatus Lotharingiæ datur Karolo, fratri Lotharii Regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis, ut & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui Lotharii motibus obsistat. Filii Ragineri, ut pro se viriliter agerent, animati Francorum auxilio & affinitate* (*Raginerus quippe Hathuidem filiam Hugonis postea Regis; Lambertus verò Gerbergam*

(*o*) Bussud Gallicè ***Boussoit près du village de Perone.*** Ita P. de Marne in præfat. ad Historiam suam Namurcensem pag. 56, trium auctorum eruditorum expositionem aliam rejiciens.

Gerbergam filiam Karoli Ducis duxére uxores) in terra patrum suorum relocati sunt : quamquam non eodem anno, uti apparebit ex num. 12.

Ducti filiâ Hugonis Capeti, Hannoniam recuperant.

7. Balduinus Avennensis (*p*) de Raginero hoc vera falsis miscuit, quæ secernenda hic sunt : *Comes Flandriæ Arnulfus*, ait, *exercitu congregato, intravit Hanoniam & saisivit Comitatum Montensem, contra Rainerum & Lambertum, filios Raineri Longi-colli, qui fuit Comes Montensis, & destruxit castrum de Bossuc : tantúmque guerravit istos pueros, quòd oportuit eos fugere in Franciam ad quærendum auxilium. Lambertus duxit uxorem Gerbergam, filiam Caroli, postea matrem Henrici de Bruxella. Et Rainerus filiam Hugonis Capeti. Regressi ergo de Francia magnum exercitum congregaverunt, & ingressi Hainoniam terram suam recuperaverunt.* Quòd Rainerus Longi-collus comes Montensis exstiterit, quòd ejus filius Rainerus toro suo sociaverit Hugonis Capeti filiam, & admitto, & tamquam ad rem meam faciens pluribus probabo testimoniis : at verò R. P. de Marne in Historia Namurcensi pag. 57 observat, eum Arnulphum, adversùs quem bella gesserunt Rainerus & Lambertus, erroneè à Balduino comitem Flandriæ appellari, cùm esset *Imperatoris fidelis*, id est, ab Imperatore feudum tenens, ut mox ex Balderico vidimus; ubi Flander contrà non regi Germaniæ aut Imperatori, sed Francorum regi obnoxium se profiteretur.

Raginerus V Roberti regis ex sorore nepos, comes Hannoniæ,

8. Raginerus IV ex Hugonis Capeti filiâ genuit Raginerum V Hannoniæ itidem aliquando Comitem. Luculento testimonio, & cui refragari nefas est, do-

(*p*) In editione Antverpiensi anni 1693, pag. 5. Continuatores Bouqueti, Tom. XI, pag. 374, qui Balduinum floruisse aiunt circa annum 1280.

cet id nos Olbertus abbas Gemblacensis, ordinatus anno 1012, defunctus mense Julio anni 1048, in historia Inventionis, Miraculorum & Translationis S. Veroni, quam Rageneri V rogatu exaratam Bollandiani tom. 3 Martii, pag. 845 & seqq. ediderunt. In hac Olbertus Raginerum *Comitem nobilissimum* nuncupat, aliisque exornat elogiis quæ inutile mihi est referre; verba sequentia excerpo : *Comes Raginerus Ragineri itidem Comitis filius, Roberto Regi Francorum ex sorore nepos .... deliberavit supradictum sanctum* (Veronum) *inferre monasterio, quod præsentiâ S. Waldetrudis honoratum, situm est in Monte Castri-loco, &c.* Erat Robertus Hugonis Capeti filius; erat Roberti soror Hathuidis, quam Raginero nupsisse, ex Balduino Avennensi & Sigeberto didicimus. Porrò si S. Veroni translatio facta sit anno 1012, quod censet Galopinus monasterii in Cella S. Gisleni monachus, qui eam annotationibus à se illustratam anno 1636 publici juris fecit; oportet, ut Raginerus V Roberto Regi ex sorore nepos anno saltem 1012 Hannoniam gubernaverit; de cujus uxore, uxorisque dote nunc dicendum est.

Herimanni Einhamensis filiam matrimonio jungit;

9. Jam ab anno 1005, si Sigeberti in chronico non vacillet temporum ratio, *mortuo Othone Duce, Ducatus Lotharingiæ* datus erat *Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis* (*q*). Et in chronico Cameracensi Baldericus, libro 3, capite 7 : *Defuncti Ducis Ottonis, filii Karoli, Godefridus .... adeptus est dignitatem.* Idem libro 3, capite 9 : *Denique verò tempore procedente, Lantbertus jam dictus cum Rainero*

(*q*) Godefridus Ardennensis, Raginero & Lamberto exsulantibus, Hannoniam rexerat. Ita D. Des Roches Epitomes parte 2, pag. 18; & Delewarde, Histoire du Hainaut tom 2, pag. 208.

nepote suo, (Raginero V) *Raineri filio inimicitiam adversùm Ducem Godefridum & Hermannum fratrem soluto fœdere iterum excitavit.* Commisso prælio occubuit Lambertus, cujus funestam mortem anno 1015 Sigebertus innectit. Lamberti filio Henrico & Rainero ad arma redeuntibus, tandem Gerardus episcopus hostes inter sese & cum Imperatore conciliavit: *His ita gestis*, inquit Baldericus cap. x, *Rainerus ad integrandam amicitiam, filiam Herimanni Comitis sibi quæsivit matrimonio copulari.* Binominem fuisse Herimannum, tradit Ægidius vetus auctor (*r*); *Hermannus*, inquit, *qui & Hezelo, sæculi quæ sunt renuncians omnibus, Virduni apud ecclesiam S. Vitoni monachicum suscepit habitum.* Quapropter de eodem Hermanno intelligenda sunt verba Sigeberti Lipsiani ad annum Christi 1005: *Hezcelo comes* (filius Godefridi Eihamensis) *post mortem Ducis castrum Eiham cum provincia Bracbatensi suscepit & diu tenuit. Hic... alteram filiam tradidit nuptui Reginero Montensi Comiti, simul cum tota provincia Bracbatensi. Deinde cùm omnia sua ad votum ordinâsset, relicto in manus Regineri castro & Comitatu, apud Verdunum effectus est monachus.* Mathildem recentiores nominant hanc Herimanni filiam & Ragineri V sponsam: hoc certum, consanguineam eam fuisse Ragineri, & quamquam gradu remotiori, quarto nempe vel quinto, quod Baldericus (*s*) satis insinuat, attamen connubium displicuisse Gerardo Episcopo Cameracensi; sed invitum

(*r*) Ægidius à Leodio, Religiosus, apud Chapeavillum tom. I, pag. 278.

(*s*) Baldericus in Chronico Camerac. lib. 3, cap. X; allegat enim auctoritatem S. Gregorii, Augustinum Anglorum apostolum monentis, ut *quartæ seu quintæ propaginis junctos* ne separaret.

tacuisse, monentibus aliis episcopis : *Si tanti viri gener fieret, spem fore pacis; sin autem, naufragium patriæ.* In hunc modum Comes Montensis Raginerus V & Herimanni filiam, & propter eam Comitatum Eihamensem consecutus est; ac ne quis putet, eum vel ab obitu patris, vel ob secuta bella, ab Imperatoribus in legitimorum Comitum numero non fuisse habitum; Comitem eum agnovit anno 1018 S. Henricus Imperator in eo Diplomate, quo possessiones Abbatiæ S. Gisleni in Hannoniâ sitæ Raginero postulante confirmavit (*t*). Anno 1024 cùm Principes Saxoniæ in regium solium sublimâssent Conradum, quem *Salicum* vocant, electioni se cum aliis Lotharingis opposuisse Raginerum *Comitem Haynocensium*, Baldericus lib. 3, cap. 50 tradit; sed simul indicat, nihil inde detrimenti Lotharingis obvenisse : nec quidquam invenio, quo minùs ad obitum usque ditionem suam conservaverit.

ex quo matrimonio orta est Richildis. 10. Jam verò is, de quo hactenùs disserui, Hannoniæ & Bracbanti Comes Richildem nostram progeneravit. Auctores, quos magno numero colligam § III, id unanimes sibíque constantes affirmant adeò, ut majorem certitudinem historicam frustra requiras, præsertim nemine ex antiquis, quamvis id apertè non asserant, reclamante, aut Richildis originem in dubium vocante. Æquè certum est, eam ex Hadwide regis Roberti sorore genus trahere. Jacobus Guisius (*u*) ejus genealogiam texit in hunc sensum : *Hugo Capetus rex Francorum genuit filiam Hadguidam & filium nomine Robertum. Hanc Hadguidam Rex uxorem de-*

(*t*) Exstat Diploma apud Miræum in editione nova Diplomatum Belgicorum, pag. 508. tom. I.


(*u*) De Guise in Annalibus, volum. 3, cap. I.

dit Raginero filio Ragineri Longi-colli, é quâ præfatus Raginerus secundus (quartum computavi) *filium sustulit Raginerum tertium* (immò quintum), *qui ex uxore legitimâ hanc procreavit Richildem.* Solus, quod sciam, dissentit Albericus Monachus trium Fontium (*x*) ita ratiocinans : *Soror regis Roberti Hadwidis Rainero Comiti de Hainaco, fratri Lamberti Comitis de Lovanio, peperit Beatricem... Comes autem Rainerus Junior de Hainaco, frater hujus Beatricis..., non fuit de matre ejus Hadwide, sed de alia; alioquin filiam hujus Raineri Richildem non potuisset Comes Flandrensis Balduinus habere uxorem.* Quia enim Balduinus Richildis nostræ post Hermannum maritus, Adelæ filius fuit, Adela autem filia præfati Roberti; adeóque Balduinus tertio consanguinitatis gradu cum Richilde connexus fuisset, si hæc scilicet nacta fuisset Hadwidem aviam : idcirco Albericus duas uxores Raginero IV maluit adjungere. Quod ad propositum meum facit, Richildem Raineri filiam ponit, atque in eo cum aliis auctoribus consentit : sed dum commentatorem agens censet Balduinum numquam uxorem ducturum fuisse Richildem, si ex eâdem stirpe processisset, hic enimverò aberrat αὐτός. Herimannus abbatiæ S. Martini Tornacensis abbas, relato matrimonio Balduini & Richildis, mox addit : *Quod audiens Leo tunc temporis Papa Romanus... dixit conjugium illud non esse legitimum, quoniam consanguinitatis lineâ propinqui erant : prophetavitque posteros Balduini non diu possessuros utrumque comitatum, quod verum fuisse, finis probavit.* Et Balduinus Avennensis pag. 8 : *Episcopus verò Cameracensis excommunicavit dictum Balduinum pro illo*

(*x*) Albericus apud Continuatores Bouqueti, tomo X, pag. 288, ad annum 1031.

matrimonio Richildis Comitissæ : sed Leo papa, qui avunculus erat Richildis, absolvit eos, & inhibuit eis thorum. Quid plura conquirimus, immò quid actum agimus? Teste Olberto abbate, Raginerus idem qui *Rainerus junior*, erat Roberto Regi *ex sorore nepos*; ergo *de Hadwide*, nisi duas Roberti sorores duxerit Raginerus IV, quod magis absonum est credere; adde quòd vel sic ruat Alberici ratiocinium (*y*).

(*y*) Schema genealogicum, exhibens, quàm propinqui consanguinitate essent Balduinus & Richildis.



Herimannus in narratione restaurationis Abbatiæ S. Martini apud Bouquetum tom X, pag. 236 de Hugone Capeto loquens sic prosequitur: *Hujus filius præfatus Robertus, sciens Balduinum Barbatum Flandrensium Comitem tunc temporis magnæ esse potentiæ, filiam Adelam adhuc puellulam filio ejus adolescentulo Balduino Insulano desponsavit, patrique ejus nutriendam tradidit.*



§. II.

Raginerus, Comitissæ Richildis pater, erat Comes Montensis.

11. Cum haud difficile probatu esset, in uno Comitatu provinciali aliquando duos, vel plures etiam, comites præfuisse, alterum provinciæ, alterum non ignobili alicui loco; existimabit fotassis nonnemo, Montensem Comitatum ab Hannoniensi fuisse seculo XI ita distinctum, ut Hermannus maritus Richildis jure hereditario potitus Montensi sit, quem ille in dotem dederit uxori: adeóque ad quæstionem Academicam eum in modum respondendum esse, ut jure suo Hermannus alteram Hannoniæ partem, alteram jure etiam suo Richildis possederit. Cui sententiæ ut aditum intercludam, ea proferam, quæ Montensem & Hannoniensem unum eumdémque statuant Comitatum. Comitatum Montensem & Hannoniensem

12. Ægidius Aureæ Vallis monachus (z) hæc ait: *Baldricus hujus nominis primus, annitente avunculo suo Raginero Comite Montensi, Leodiensium substituitur Episcopus. Hic circiter tribus annis præfuit, qui & obiit..... Romanam Ecclesiam Joanne XII Papa regente.* Summum Pontificatum gessit Joannes ab anno 956 ad 963: eo igitur tempore Raginerus aliquis Comes Montensis fuit, is nempe, quem ab Archiepiscopo Brunone ejectum fuisse, dixi numero 5, & qui *principabatur Haginoensibus*, Richildis nostræ avus paternus. Hujus filii Raginerus IV & Lambertus parentum pos- non habuisse distinctos Comites,

(z) De hoc auctore vide infrà num. 15.

ſeſſionem recuperaverunt, hic Comitatum Lovanienſem, ille Hannonienſem : quod autem etiam Caſtri-locum, ſeu Montem Hannoniæ caput conſecutus ſit, facilè oſtenditur. *Lotharius Rex Francorum* (anno 984, ut habet Sigebertus in chronico) *ad invadendam Lotharingiam rurſum laborans, urbem Virdunum & Godefridum ipſius urbis Comitem capit.* Cauſam belli hanc ſimulabat, quòd Godefridus & Arnulphus Hannoniam Raginero non reſtituerent. Jam verò hæc Godefrido præſcripta lex fuit, ut ſi libertate frui vellet, cum Hannonia Caſtri-locum traderet Raginero. Teſtatur id Gerbertus Remorum priùs, dein Ravennatum Archiepiſcopus, denique anno 999 Summus Pontifex (*a*) hæc ſcribens : *Sigifridus Comes ad ſua rediit. Godefridus Comes, ſi Caſtrilucium cum Hainao Reniero redderet, ſeque filiúmque ſuum Comitatu ac Epiſcopatu privaret Virdunenſi, de reliquo integram fidem Francorum Regibus exhiberet, datis obſidibus fortaſſis ad ſua remeare valeret.* Tandem anno 997, niſi à vera Chronotaxi aberret Albericus monachus Trium Fontium, *Comes Raginerus abſtulit Montem Caſtri Comiti Godefrido.*

ſe leidem Ragınero patuiſſe,

13. Et Raginerum V Richildis parentem Caſtri-locum poſſediſſe, ex numero 8 nullo negotio deducitur. Auctore Olberto Abbate, *Comes Raginerus Ragineri itidem Comitis filius, Roberto Regi ex ſorore nepos dilectus.....* (ex villa Lembeca) *deliberavit ſupradictum ſanctum* (Veronum) *inferre monaſterio, quod præſentiâ S. Waldetrudis honoratum, ſitum eſt in Monte Caſtri-loco*; ac reipſa intulit, prout Olberti Hiſtoria ſubjungit.

(*a*) Gerbertus in Epiſtola ſua 60 : apud Du Cheſne de Scriptoribus Hiſtoriæ Francorum, edit. Lutetiæ Pariſiorum anno 1636.

ſubjungit. Cur autem extra Comitatum ſuum ſacras reliquias tranſportaverit Raginerus, edicant illi qui Caſtri-locum alteri Comiti tum vellent paruiſſe. Adde quòd Richildem *Montenſis Comitis filiam* nuncupet Lambertus presbyter ab Ardeâ patriâ cognominatus Ardenſis, qui ab anno 800 ad 1200 Hiſtoriam Ardenſem deductam Arnulpho II Comiti Giſnenſi & Ardeæ Domino dicavit, neque de ſe fateri erubuit, conſcribendæ Hiſtoriæ admoviſſe ſe manum, *circumſpectis & relectis omnibus Flandriæ ..... Chronicis* (*b*).

14. Giſlebertus in Chronicâ quamvis pag. 2 (c) *Hanonienſem* & *Caſtri-Montenſem* Comitatum nominet, ut ſubdubites, an duo non ſint, unum tamen indicat: *Hermannus Comes*, ait, *qui Comes Montenſis dicebatur, quia ipſe Mons caput erat & eſt ſemperque erit totius Hannoniæ....* (& uxor Richildis) *Comitatum Valencenenſem comitatûs Hanonienſis & Caſtri-Montenſis honori addiderunt.* Quid enim ſibi hæc volunt: *Mons caput erat & eſt totius Hanoniæ*, ſi alteri Comiti Mons, alteri Hannonia, judice Giſleberto, ſubjecta fuiſſet? & qui hoc loco *Hermannum Montenſem* appellat, ſcripſerat pag. 1, Hermannum jure hereditario poſſediſſe Comitatum Hannonienſem. Idem auctor pag. 16 & 17 narrat, quomodo Comes Hannonienſis *ad ipſius eccleſiæ* (S. Waldetrudis) *Abbatiam, & advocatiam ab antiquo ſublimatus fuerit.* Idem pag. 19 ait: *Comes Hanonienſis tenet ab eccleſiâ Montenſi ſitum Caſtri ſui ſub annuo cenſu quinque ſolidorum in Cœnâ Domini ſolvendorum.* Neque hæc de ſuo tantum tempore Giſlebertus, ſed & de Reinero Comite & Alide

ex variis auctoribus oſtenditur.

(*b*) Apud Continuatores Bouqueti tomo, XI, pag. 295.

(*c*) De Giſleberto agam §. 5.

Comitissâ ejus conjuge intelligenda esse vult. Quotus ejus nominis Reinerus is fuerit, cujus uxorem Alidem vocat Gislebertus, mea nihil interest examinare.

§. III.

Richildis fuit proles unica & heres Comitis Hannoniæ Ragineri.

Richildem Comitis Hannoniensis filiam & heredem unicam

15. HANC propositionem certam indubitatamque faciunt seculorum penè omnium post Richildem auctores : neque enim solus eorum numerus, quamvis magnus ille sit, & vel propterea non contemnendus, ad assentiendum inducere nos debet; sed ea cura ac sollicitudo, quam in veritatis inquisitione adhibitam à multis constat. Nonnullorum ex iis, omnes enim laudare longum esset, verba juvabit audire; alios solo nomine ac designatâ libri paginâ indicabo. Ægidius Aureæ-Vallis, Ordinis Cistercienfis monachus, qui ab anno 1230 ad 1251 scriptis floruit, omnesque Diœcesis Leodiensis bibliothecas perlustraverat (*d*) hæc habet : *Fuit autem ista Richildis Comitissa Hannoniæ, filia Raineri Comitis, filii Comitis Raineri Longi-colli. Hanc, quia unica erat hæres Comitatûs Hannoniæ, duxit in uxorem Comes Flandriæ Balduinus &c.* Albericus monachus Trium Fontium (*e*) : *Anno ML Balduinus Flandrensis invaso Haynonensium Comitatu, contra Imperatorem rebellat. Ex hoc conjicimus, quòd Raynerus*

(*d*) Apud Chapeavillum, tom. 2, pag. 9. Vide Vitam Ægidii tomo 2 de Gestis Pontificum Leodiensium præfixam.

(*e*) Albericus apud Continuatores Bouqueti, tom. XI, pag. 354.

junior Comes Haynonii jam erat mortuus, cujus filiam unicam Richildem nomine Comes Balduinus Insulanus filio suo dedit uxorem.

16. Jacobi de Guise, quem obiisse tradunt anno 1398 vel proximè sequenti, auctoritas in iis quæ Richildem attinent, vilipendenda non est; quamvis enim in rebus antiquioribus nimiùm credulus haud immeritò habeatur, de Richilde tamen acturus solito majus studium impendit. Satis id apparet volumine tertio, cap. 1, ubi ex aliis auctoribus Gislebertum refutat, qui videbatur Hermannum Hannoniensis Comitis filium existimâsse, & Richildem non nisi jure mariti Comitissam (*f*). Eodem quoque volumine, cap. 3, memorat, se Ecclesiæ cathedralis Catalaunensis Annales omnes pervolvisse, monumenta omnia inspexisse, ut de Richildis primogenito filio, Catalaunensi Episcopo, explorati quid nosceret. Hic autem & Richildem Hannoniensis Comitis filiam scribit, & solam eam heredem fuisse indicat, cùm ait filium ejus Rogerium renuntiâsse omni juri successionis, quod ei in Hannonia à matre, sorore aut fratribus obtingeret (*g*).

tradunt Historici tum antiqui

17. D'Oudegerst in Chronicis Flandriæ Gallico sermone Antverpiæ excusis pàginis 78 & 85 Richildem & Ragineri filiam fuisse, & jure proprio Hannoniam possedisse ait. Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum MLI: *Defuncto Hermanno Comite Montensi, Balduinus Princeps..... invasit Hanno-*

tum recentiores

(*f*) De Gisleberto vide infra §. 5.

(*g*) De Guise, volum 3, chap. 3: *Tout le droict de propriete & de succession naturelle que il povoit avoir en la conte de Hainau a sa mere, sa sæur & a ses freres contens pour ung pris competant a eulx & a tous leurs successeurs il laissa & donna.*

niam, quâ ſubactâ, Caſtri-loci celebravit Balduini filii nuptias cum Richilde ejus terræ Principe, Hermanni viduâ, Ragineri Montenſium Comitis Filiâ. Butkens in Trophæis Brabantiæ, pag. *61*, Richildem Ragineri V filiam & heredem unicam indubitanter aſſerit.

In monumentis Belgicis verſatiſſimi.

18. In eumdem ſenſum eamdemque ſententiam de Richilde ſcripſerunt Franciſcus Vinchantius, Annal. Hannoniæ pag. 175; Henſchenius Vitam S. Lietberti, Epiſcopi ad diem XXIII Junii Annotationibus dilucidans; De Boſſu Hiſtoriâ Urbis Montis pag. 35; Delewarde Hiſtoriâ generali Hannoniæ tom. 2, lib. 6; Waſtelain Deſcriptione Galliæ Belgicæ paginâ 432; Vredius libro qui inſcribitur *Sigilla Comitum Flandriæ*, pag. 5; D. Paquot in notis ad librum cui titulus *Flandria generoſa;* D. Des Roches in Epitome Hiſtoriæ Belgicæ, parte poſteriore pag. 43, aliique: nec Miræum neglectum oportuit, in Notitiâ Eccleſiarum, cap. 47 & in Chronico Belgico ad annum 915.

---

§. IV.

Hermannus, Richildis maritus, Comitatum Hannonienſem adeptus non eſt ut patris ſui heres.

Hermannus à Comitibus Hannonienſibus non oriundus:

19. EX iis quæ hactenùs in medium prolata ſunt, ad quæſtionis primam partem reſpondere aggredior. Cùm petunt Academici Socii, *fueritne Hermannus jure ſuo Hannoniæ Comes?* dico, non Hermanni, ſed Richildis patrem Hannoniæ Comitem poſtremum exſtitiſſe: Hermannum itaque non fuiſſe Comitatûs heredem, ſi nempe acceptâ jam ſignificatione heredita-

tem intelligamus, ut à parentibus obvenientem. Non fuisse ultimi Ragineri filium, ulteriùs probare supervacaneum esset. Sed neque à penultimo vel antepenultimo originem duxit : quàm difficulter enim eo seculo cum consanguineis iniretur matrimonium, ex numeris 9 & 10 perspicitur, etsi alia deessent argumenta. Nemo etiam docet, Hermannum ab iis Comitibus progenitum, qui ejecto Raginero III Hannoniam rexerant : & quod efficacius argumentum est, Godefridus, de quo num. 9 plura memoravi, quíque vel Hannoniam ultimus invaserat, ut Sigebertus loquitur, vel eâ fuerat donatus, ut vult Baldericus, Hannoniam per pacis fœdera abdicavit : immò Godefridi junioris frater Herimannus filiam suam Raginero V dedit uxorem, dotatam ditione Einhamensi.

Lamberti Schafnaburgensis verba contrarium videntur indicare ;

20. Hermanno Richildis conjugi hereditarium in Hannoniam jus omnes, opinor, uno ore abnegarent hodiedum, nisi quorumdam antiquorum verba, ut primùm oculis occurrunt, hereditatem illam Hermanno viderentur asserere. Unde meum nunc est, ad auctores illos animum advertere, eorum dicta fide integrâ referre, & quantâ valeant auctoritate, exponere. A Lamberto Schafnaburgensi exordior, auctore Richildi coævo, utpote qui ab anno 1058 Hirschfeldensis in Germania cœnobii monachus (*h*) Annales ad annum usque 1077 deduxit. Hic vir eruditus, auctor accuratus (*i*), dictus etiam à Natale Alexan-

(*h*) Id de se testatur ad eumdem annum Lambertus. Ejus Annales simul cum chronico Conradi Urspergensis & Annalibus Rheginonis prælo dati Argentorati anno 1609. Exstant laudata verba ad calcem paginæ 481.

(*i*) Ita insignitur à continuatoribus Bouqueti, tom. XI in præfatione.

dro (*k*) *veracis historici laudem consecutus, neque incultâ scripsisse ratione*, ad annum MLXXI sententiam laudatorum hactenùs historicorum videtur sùs déque vertere; en adeò ejus verba. *Filius Balduini*, & Comitissæ Richildis, *quùm deinceps parum spei in armis Francorum poneret, assumptâ matre suâ* Richilde, *ad regem Theutonicorum Heinricum Leodii, ut prædictum est, tum temporis positum venit, opemque ejus adversùs patrui violentiam supplex imploravit. Atque ut magìs eum sibi obnoxium faceret, Comitatum Reginheri quondam comitis cum castello munitissimo, Mons nomine, quæ scilicet, prædia mater ejus à priore marito suo dotis nomine acceperat, sancto Lamperto tradidit. Quæ rursum episcopus Leodiensis duci Gotefrido, ille itidem ipsi filio Balduwini beneficii loco dedit. Hoc rex quasi pretio redemptus, episcopo Leodiensi atque duci Gotefrido, item aliis Lutheringiæ principibus præcepit, ut in arduis rebus præsidio illi essent.* Necesse non habeo monere lectorem, Comitatum dici traditum S. Lamberto propterea quòd à Richilde & Balduino filio oblatus sit ecclesiæ Leodiensi, insigni pietate S. Lambertum colenti patronum.

sed qui in multis hic aberrat à vero:

21. Schafnaburgensi scriptore nixus nonnemo fortassis propugnabit, Richildem *dotis nomine* vel Hannoniam vel saltem Castellum illud munitissimum ab Hermanno, is enim *prior maritus* fuerat, accepisse; at meâ quidem sententiâ non rectè. Absit tamen, ut Huydecoperii (*l*) dicteriis subscribens fabulatorem vocem, aut nugivendum: neque ad enervandum ejus

(*k*) Natalis Alexander, tom. 5, Hist. Ecclef. ad fæc. XI, cap. 5, art. 5, pag. 502, num. 2.

(*l*) Huydekoper Aenmerkinge op de Rym-Kronyk van Melis Stoke parte I, pag. 279.

testimonium, respondere sufficiet, hominem alibi aberràsse à vero (*m*), ac propterea nullam hìc promereri fidem: cùm enim ab errore immunes scriptores nulli sint, nisi qui afflante Numine scripserunt; jam ex Historiâ exularet omnis certitudo, si propter nonnullos lapsus totum cujuscumque opus vocaretur in dubium. Verùm enim verò cum in unâ eâdemque hac periodo multa alia coacervet Schafnaburgensis, quæ nemo certè pro veris admittet; dico in totâ narratiunculâ non tanti momenti esse ejus auctoritatem, ut quem ante nos auctores secuti non sunt, ducem sequi nos debeamus. Vitiatam esse totam periodum, paucis sic ostendo.

22. In primis illud quis credet, Balduinum sua S. Lamberto seu Episcopo Leodiensi obtulisse, ut obnoxium sibi faceret Henricum Imperatorem? Quam gratiam inire ab Imperatore Richildis potuit, quòd Episcopo subjiceret Hannoniam? Immò finge potuisse id Henrico gratum accidere: cur ergo tot tantisque deprecatoribus usa est Comitissa, ut Imperatorem ad assensum inflecteret, quos in ipso Diplomate Henrici (*n*) legimus intervenisse? Si Balduinus Hannoniam S. Lamberto tradidit, ut Imperatorem, sibi obnoxium haberet: cur ergo Imperator non patrocinio tantùm sed & donis inducendus erat, ut traditioni annueret: prout de rebus Leodiensibus meliùs instructus narrat Ægidius Aureæ-vallis (*o*) in-

puta, cùm ait Hannoniam Theoduino oblatam in gratiam Imperatoris:

(*m*) *Quæ Lambertus ad annum* 1071 *de Vitâ.... Roberti Frisonis narrat, minùs fidum tutumque rerum Flandricarum scriptorem innuunt.* Continuatores Bouqueti Præfat. tomi XI, pag. XVI.

(*n*) Vide Diploma apud Chapeavillum, tom. 2. pag. 11.

(*o*) Ægidius apud Chapeavillum, ibid.

quiens: *Ipse Dominus Theoduinus* (is tum Leodii erat Antistes) .... *apud Dominum Romanum Imperatorem* .... *SERVITIO ET DONIS MEDIANTIBUS tantum effecit, ut ipse Imperator Leodiensi Ecclesiæ contulerit de consensu & laudamento prædictorum scilicet Richildis & Balduini filii ejus, omnia feuda, &c.* Totidem ferè verbis idem Chronicæ suæ, pag. 10, inseruit Gislebertus: *Dominus Theoduinus... SERVITIO ET DONIS MEDIANTIBUS effecit, quòd ipse Imperator Leodiensi Ecclesiæ contulit .... omnia feoda* (*p*). Neque accuratus est Schafnaburgensis, dum Balduinum tamquam rei gerendæ auctorem primum in scenam producit: partes enim præcipuas egit Richildis mater. Illa non tam Henrici quàm Theoduini opem imploravit: illa *super morte filii sui Arnulphi plurimum dolens, exhæreditationemque filii Balduini superstitis graviter ferens, allodia sua omnia in Haynoniâ sita Episcopo Leodiensi Theoduino Principi potenti, sibique satis vicino danda obtulit, ut AB EO in vindictam contra sæpedictum Robertum auxilium haberet, &, acceptâ ab eo pecuniâ, stipendiarios proinde contra eundem Robertum conduceret* (*q*). Ut autem Comitatum quoque seu feuda, quæ juris erant Imperatorii, Episcopo subjicere licitè posset, mater, plùs quàm filius, omnem lapidem movit animosa mulier & ob rem malè gestam exacerbata.

& ab Imperatore Hannoniam traditam Godefrido Duci.

23. Quis iterum Schafnaburgensi credat dicenti: *quæ* (prædia) *rursùm Episcopus Leodiensis Duci Gotefrido*,

(*p*) Quàm graviter laboratum sit, ut Henricus præberet assensum, narrant Fisenus in Historia Ecclesiæ Leodiensis, lib. 8, cap. 38, & Delewarde in Historia Hannoniæ, tom. 2, pag. 321.

(*q*) Hæc Ægidius Aureæ-Vallis supra laudatus.

tefrido, ille itidem ipsi filio Balduwini beneficii loco dedit. Quid? an Richildis & Balduinus ad recuperandam Flandriam auxilium conquirentes, Hannoniam Theoduino ita obtulerint, ut ei fas esset, hanc vel *Godefrido Duci* vel alii cuicumque in beneficium concedere? An, ne amissâ provinciâ diutiùs privarentur, alteram etiam à se penitùs abjecerint? Id, etsi Historicorum nemo contradiceret, à verisimilitudine nimiùm quantùm alienum est: contradicunt autem Ægidius Aureæ-vallis & Gislebertus, iisdem verbis: *ita quòd sæpè dicta Richildis & ejus filius Balduinus sub una manu* [&] *uno hominio (ligio) universa allodia sua & familias & feuda AB EPISCOPO Leodiensi receperunt.* His antiquior, immò & rei gestæ coævus erat Lambertus Schafnaburgensis, sed longo tractu terrarum remotus fallaci vulgi rumori aures præbuit: Ægidius verò & quæ scripsit & *alia plura in chartis majoris Ecclesiæ Leodiensis conscripta super hoc* dicit (*r*).

24. Quæro tandem, quid *dotis nomine* à priore marito Richildis vel potuerit accipere? in Hannoniâ alia erant feuda, alia allodia. Feuda Comites Hannoniæ ab Imperatore tenebant, *Abbatiam & Advocatiam Montensis Ecclesiæ, & justitiam Comitatûs*, prout laudati Gislebertus & Ægidius Aureæ-vallis uno ore nos edocent, iisque adstipulans Balduinus Avennensis pag 11. Allodia duplicis erant generis: alia vocabantur *Allodia propria S. Waldetrudis apud Castrilocum in Castro & in Villâ, Quarengnon, Gumapes, Frameries, Kienvi, Brainne la Wihote, Brainne le Castel, Hal, Castres, Herines, Cuemes, Nimi, Vile seur Haine, & aliqua alia quæ non nomino*, inquit

In Hannonia varii generis bona erant;

(*r*) Apud Chapeavillum, tom. 2, pag. 11.

Balduinus loco indicato. Hæc, ait ille, *Comitissa Richildis retinuit in allodium proprium*; quam phrasim ita interpretor, ut præfata allodia Episcopo Theoduino oblata non fuerint, tamquam in feudum convertenda, & hominio ligio mox recipienda. Favet interpretationi Gislebertus, qui cùm dixisset, Richildem & Balduinum *sub unâ manu & uno hominio ligio universa allodia sua & familias & feoda* ab Antistite Leodiensi recepisse, statim subnectit, quasi se corrigens, *salvis tamen in omnibus B. Waldetrudis Allodiis propriis*, iisdem scilicet, quæ ex Balduino indicavi. Horum tertia pars ad Abbatiam ita pertinebat, ut in aliquibus Abbas (Comes scilicet) cum Capitulo emolumentum communicaret; uti latiùs exponit Gislebertus pag. 18 & 19. Alterius generis Allodia, utpote neque à Capitulo neque à quoquam alio dependentia, ea erant, quæ Richildis & Balduinus Theoduino liberè concesserunt, præcedente tamen pacto, ut mox ea Episcopus redderet, deinceps sub *hominio ligio* simul cum Comitatu possidenda.

nulla ex illis in dotem Richildi Hermannus dicendus est contulisse.

25. Quidnam autem ex illis, inquam, omnibus *dotis nomine* Hermannus dederit Richildi? Non Allodia propria B. Waldetrudis, ut res ipsa clamat: non posterioris generis Allodia; ea saltem non significavit Schafnaburgensis, neque de iis intelligi voluit, aut potest. Si enim per *Comitatum Reginheri* indicâsset omnia quæ in Hannoniâ sub Reginhero exstiterant, jam etiam Allodia propria B. Waldetrudis inclusisset doti, quod fieri nequiit. Superest ergo, ut per *Comitatum* intelligamus Justitiam Comitatûs nec non Abbatiam & Advocatiam Montensem, & si quid præterea ad Comitatûs honorem pertineret, id est, feuda omnia imperialia. Verùm si per *Comitatum Reginheri* intellexit Feuda Schafnaburgensis,

non verè dixit, ea à Balduino tradita fuisse Theoduino aut Ecclesiæ Leodiensi: neque enim feuda Balduinus aut Richildis Theoduino submiserunt, neque in eorum potestate erat, ut ea alieno domino manciparent : ut adeo hac interpretatione novus error Schafnaburgensi impingatur. Dein si verbis ejus ita ut nunc jam explicata sunt, immò ut sonant, inhærendum est, ea in dotem ab Hermanno accepit Richildis, quæ Antistiti Leodiensium subjecit : atqui tamen Richildis non subjecit ei feuda imperialia, sed petiit tantùm, ut Imperator, supremus Dominus, feuda Antistiti obstricta esse vellet : malè itaque Schafnaburgensi nituntur, qui Comitatum, ut feudalem, Richildis dotem fuisse contendunt, ab Hermanno scilicet ei constitutam. Ponamus tamen ita intelligendum auctorem nostrum, ùt Richildis censeatur dedisse Theoduino id, quod ad ejus preces Imperator dedit; & non tam verba ejus, quàm rem ipsam penitiùs inspiciamus: jam ergo auctore Schafnaburgensi consequens fiet, ut Hermannus Feuda Hannoniæ Richildi uxori dotem constituerit. Ast id quis in animum inducet ut credat propter solam illius auctoritatem, ubi in eâdem hâc periodo tam multa occurrunt à vero aliena? Præterea, quod notare plurimùm juvat, Hannoniam auctor noster non Hermanni, sed *Reginheri Comitatum* nuncupat : quomodo ergo ad Hermannum devolutus est? non ut ad filium Reginheri; id certè nec Schafnaburgensis, neque post illum scriptor ullus effatus est. Effugium unum superest, ut ab errore vindicetur Schafnaburgensis, eamque fortassis multi inibunt viam, ùt dicant, defuncto Raginero, Allodia quidem ad filiam Richildem hereditario jure devoluta, Feuda autem ab Imperatore concessa Hermanno Comiti, quæ hic illi concesserit in dotem.

Hanc ne amplectar opinionem, multa me absterrent. Primò quia totus hic locus in Schafnaburgensi displicet: secundò quî fiet probabile, Richildi non licuisse adire hereditatem comitatus paterni? an quia feodalis erat, adeoque à muliere alienus? sed quî licuit Hermanno dotare sponsam eo Comitatu, quem pater nequiret filiæ transmittere? hoc tamen argumentum præproperè attigi: nam quamvis Hermannus in dotem consignâsset Hannoniam, nondum consequens fieret, ut ipsam hereditario jure possederit, quod jus & unicè hìc examinandum erat, & Hermanno non competiisse, probare conatus sum, idque vel ex ipso Schafnaburgensi, Hannoniam vocante *Comitatum Reginheri* (ſ).

(ſ) Præclarum doctorum virorum effatum est, Auctores non collidendos, sed conciliandos, ubi saltem conciliationis ratio se utcumque offert. Eapropter maluerunt Academici quidam Socii, ut exhiberetur Lambertus Schafnaburgensis non tamquam scriptoribus ceteris contradicens, sed potiùs ut amanuensium aut describentium oscitantiâ deterioratus. Mendi manifestum indicium deprehendunt in eo, quod absimile vero sit, Lambertum, cetera accuratum tersumque, Comitatum & castellum *prædia* scripsisse, quæ vox apud nullum utut barbarum, nedum apud elegantem adeò scriptorem eâ significatione reperitur. Proinde locum depravatum in hunc modum restitui velint: *Comitatum Reginheri quondam Comitis cum castello munitissimo, quæque adhæc prædia mater ejus à priore marito suo dotis nomine acceperat &c.*; verosimiliter autem multa prædia seu in Hannonia, seu in locis vicinis Hermannum possedisse, neque indotatam à se duxisse sponsam. Animadversioni non est quòd repugnem & quam animo grato suscepi, lubens volensque cum lectore communico.



§. V.

Gisleberti hac de re verba exponuntur.

Gislebertus seculi XII & XIII auctor quam fidem mereatur;

26. IN rebus Hannoniensibus magna sit oportet Gisleberti auctoritas. Is etenim Balduini V Hannoniæ Comitis *Cancellarius*, sui temporis præcedentisque seculi historiam pro munere suo perspectam habere debuit: *hujus Comitis ... actibus tam in prosperitate quàm adversitate ferè omnibus interfuerat*, uti de se refert, pag. 287. Ei tum aliàs tum nominatim anno 1189 Comes jura sua apud Romanorum Regem tuenda commiserat (*t*). Profitetur quoque paginâ mox indicatâ, se Gesta Comitum ex quamplurium ecclesiarum scriptis collegisse; ad quæ monumenta oculis perlustranda dubium non est, quin aditus ipsi patuerit, propterea quòd variis ecclesiis esset adscriptus, quas eâdem paginâ enumerat. Hisce de causis speciali examine discuti promerentur quæ memorat de Richilde.

priora ejus verba

27. Hic itaque vir talis tantusque ipso statim sui operis initio hæc verba sistit: *Ab Hermanno Comite, qui post quàm plures Comites Comitatum Hanoniensem jure hæreditario possedit, & cum ejus uxore Richelde Comitissâ, muliere prudentissimâ ac potentissimâ, initium habere volumus.* Gislebertum legerat Jacobus de Guise (*u*) aitque laudatis verbis significari, Her-

(*t*) Auctorem vide pag. 210 & seqq. Porrò ejus Chronicam ingenti reipublicæ litterariæ commodo publicâ luce donavit Illustrissimus D. Marchio du Chasteler typis Bruxellensibus anno 1784.

(*u*) Les Chroniques & Annales de Haynau, le tiers volume, feuillet 1. *Sigibert dit au commencement de son œuvre, &c.* Non de Sigiberto sed Gisleberto loquitur Guisius, id quod totus orationis contextus indicat.

mannum fuiſſe verum heredem naturalem, è Comitum Hannoniæ genitum ſanguine; nec alio jure Richildem Comitiſſæ nomine inſignitam, quàm quòd Hermanno nupſiſſet. Ceterùm Giſleberto contradicit, opponens ei Balduinum & Almericum, qui contrà affirmarent, fuiſſe Hermannum Ducis Thuringiæ filium.

non rectè intellecta à Guiſio.

28. Si itaque Giſlebertus pronuntiâſſet, verum naturalemque Hannoniæ heredem fuiſſe Hermannum; ex Guiſio duos antiquos auctòres adverſarios nactus eſſet, qui ejus fidem utcumque dubiam facerent. Aſt ego nullus dubito, quin à Guiſio malè intellectus ſit: nam quòd dicatur Hermannus *jure hæreditario* Comitatum poſſediſſe, illa verba tam varium ſenſum patiuntur, ut niſi ſe ipſe explicaret auctor, determinati nihil ex ipſis haberemus. Antonius Dadinus Alteſerra (*x*) probat oſtenditque, ſub primâ & ſecundâ Regum Francorum familiâ hanc formulam, *hereditario jure* prædia poſſidere, idem frequentiſſimè ſignificâſſe, quod, poſſidere in allodium: & qui vel donatione vel emptione, vel alio titulo, allodium acquiſiverant, illud hereditario jure poſſidere dicebantur. Exempla apud eum collecta referre ſuperſedeo. Quia autem Giſlebertus de Hermanno non ſcribit, eum Allodia, ſed Comitatum *jure hæreditario* poſſediſſe, dico ex illâ loquendi formulâ etiam non fieri conſequens, ut tamquam patris heres Comitatum Hermannus conſecutus ſit. In Chronicâ MS. *De Origine Ducum Brabantiæ*, Ducatûs emptio jus hereditarium efficit: ait enim Chronicæ auctor: *Anno* MCCLXXXVI... *cùm Johannes Dux Lotharingiæ acquiſitum*

(*x*) Alteſerra de Ducibus & Comitibus Provincialibus Galliæ, Toloſæ anno 1643, lib. 2, ubi agit de *Allodiis*, cap. 1.

ſibi per emptionis titulum Ducatum Lemburgenſem hæreditario jure poſſidendum adire nititur (y). Sed quid aliunde exempla conquirimus? ipſe Giſlebertus pag. 4 ſatis oſtendit, eas voces non ſemper à ſe adhibitas, ut exprimeret hereditatem, quæ à patre obvenit. *Balduinus*, inquit, *Comes Flandriæ cum Richelde uxore ſuâ Comitatum Hanonienſem propriè & hæreditariè poſſedit.* Jam verò Balduinus non ut paternorum bonorum heres Hannoniam adminiſtravit: ſed tum dictus à Giſleberto eſt hereditariè poſſidere Comitatum, cùm ejus filii, amotâ prioris tori ſobole, in Comitatûs poſſeſſionem erant ſucceſſuri. Atque in eumdem omnino ſenſum priora verba accipe: *Hermannus Comitatum jure hæreditario poſſedit*, id eſt, ita poſſedit, ut eo defuncto filius nepóſve Comes futurus eſſet. Simili ſenſu locutos illius ſeculi ſcriptores, demonſtrat Du Cange in Gloſſario Latinitatis mediæ & infimæ.

Poſteriora ejus verba de dote Richildis.

29. At, inquies, quamvis Giſleberti hic locus ſic commodiſſimè exponatur, tamen quæ pagina 2 exaravit auctor, deſignatum ſenſum prorſus evertunt, ſic enim loquitur: *Hermannus Comes deceſſit: Richeldis verò Comitiſſa vidua ſupervixit & totam terram Hanonienſis Comitatûs tam de jure dotalitii, quàm de procuratione puerorum ſuorum tenuit.* Ecce cum Lamberto Schafnaburgenſi conſpirat Giſlebertus, ut Richildem non ſuâ hereditate Comitiſſam arbitremur, ſed ex dote ab Hermanno conſignatâ.

Dos tam à parentibus quàm à ſponſis eo ſeculo conſtituta.

30. Reſpondeo Giſlebertum disjungi ingenti intervallo à Schafnaburgenſi ſcriptore: hic enim non terram Comitatûs, ſed Comitatum ipſum Richildi in dotem tribuit, & à *priore marito* acceptam: Giſlebertus verò Hannoniam univerſam fuiſſe dotalitium

(y) Chronica hæc conſcripta cenſetur ſub finem ſæculi XIII.

ait, à quo autem illud concessum sit Richildi, in medio relinquit. Animadvertendum porrò est, dotem iis seculis non tantùm à sponso sed & à parentibus constitutam fuisse. Quòd sponsi dotarent sponsam, dissimulandum non est. Muratorius in opere quod inscribitur *Antiquitates medii ævi* (z), publici juris fecit Diplomata tum Ludovici II Imperatoris anno 850, tum Lotharii Regis Lotharingiæ anno 867, tum aliorum, qui sponsæ suæ dotalitium designant (a). Quod secula Richildi posteriora attinet, *Yolendis* Comitis de Ghelrâ filia, Balduini Comitis Hannoniensis *vidua tam de jure dotalicii, quàm de parvitate Balduini filii sui Hanoniam diu tenuit;* quæ ejusdem Gisleberti, pag. 43, verba sunt. Verùm nemo, puto, inficiabitur, etiam à parentibus dotem seu dotalitium filiabus constitutum. Quod num. 9 ex Sigeberto Justi Lipsii protuli, & Meyerus ad annum 964 ponit in Annalibus Flandriæ, *Mathildem Comiti Montensi Raginerio nupsisse, dotemque illi attulisse Eynhamum cum totâ ditione Brachatensi*, præclarum est hac in re argumentum, etsi Vadderio displiceat. Negat ille quidem (b) eam fuisse Hezceloni potestatem, ut Brachbantum, feudum Imperiale, filiæ suæ dotem daret: sed hæc mera conjectura est Vadderii, ex eo orta, quòd opinaretur, in Imperio filias à feudorum possessione exclusas.

De dote à Raginero datâ interpretandus est Gislebertus;

31. Ut itaque ad Gislebertum redeamus, dico ejus verba sic intelligi posse, ut Richildis Hannoniam tam de

(z) Muratorius tom 2, Disputatione 20.

(a) Dotatam fuisse à Gisleberto Duce Gerbergam, intelligitur ex num. 5.

(b) De Vaddere *De Origine Ducum Brabantiæ*, tom. I, pag. 295, editionis 1784.

de jure dotalitii, ſcilicet deſignati à Raginero patre, quàm de procuratione filiorum ſuorum gubernandam habuerit; id eſt, de ſolo jure dotalitii, quamdiu ſobole careret; quod ſi gigneret prolem, tam de jure dotalitii, quàm de ſuorum procuratione præeſſet Hannoniæ. Addo, verba non pati expoſitionem aliam: non enim de ſolo Comitatûs honore, ſed de *totâ terrâ Comitatûs*, id eſt, tam de Allodiis quàm Feudis agit Giſlebertus, quæ omnia nemo profectò Hermanno conceſſerit. Neque eſt, quòd objiciatur, ita ferè de Richilde locutum auctorem hunc, ſicut de Yolende, de qua num. 30 deditâ operâ mentionem feci. Nam cùm jus hereditarium & jus dotalitii vario diverſoque ſenſu accipiatur, genuina ſignificatio ex adjunctis eruenda eſt. Jam verò, quàm certum habemus, Yolendem non fuiſſe Comitis Hannonienſis filiam, adeoque nec heredem, tam certum eſt, Comite Hannonienſi progenitam Richildem.

32. Dos Richildis à patre Raginero conſtituta undequaque probabilis eſt. Poſt Raginerum I, mulier nulla Hannoniam gubernaverat, uti ex paragrapho I, ſatis arbitror patêre. Mulierum in Feuda ſucceſſio nondum ſic invaluerat, ut ubique firma ac rata eſſet. Richildis Allodiorum heres, an in Comitatum quoque eſſet reipſâ ſucceſſura; id eſt, an propinquorum nemo imbellem feminam è debitâ ſucceſſione deturbaturus eſſet; an Imperatores ſumptâ occaſione Hannoniam ſibi arctiùs devinciendi, non eſſent occupaturi provinciam, rejectâ herede reſiſtere imparatâ: hæc enimverò & ejuſcemodi alia inducere debuerunt Raginerum, ut unicæ proli viâ tutiſſimâ proſpiceret, utque conſanguineorum potentiorumque cupiditati nullam nocendi anſam relinqueret ſuperſti- quæ & aliis argumentis probatur.

tem (*c*). Tutissimum autem visum est, ita heredem scribere filiam, ut nec invito Imperatore nuberet, & non nisi dotalitii jure & tamquam prolium procuratrix Comitissa haberetur. Id, etiamsi non insinuavisset Gislebertus, notitia istorum seculorum suaderet existimare. Itaque Gislebertus haudquaquam dissentit ab auctoribus aliis, qui Comitatûs heredem ponunt Richildem: neque hæc sibi repugnant, quòd ex prudenti cautelâ pater dotem fixerit Hannoniam, quódque filiæ tamen jure hereditario Hannonia deberetur. Jam verò eam propter sexum amovendam non fuisse à Feudi possessione, probare intendo.

---

§. VI.

Richildis à Comitatûs Hannoniensis possessione propter sexum exclusa non fuit.

Respondetur ad secundam partem Quæstionis.

33. QUÆSTIO Academica duas partes complectitur. Priùs id petitur, an Hermannus *jure suo* Comes exstiterit? dein, si illud negetur, an non saltem *uxorio jure* Hannoniâ potitus sit? Ad priorem partem respondi hactenùs. Ad posteriorem quod spectat, in eo difficultatis nodum situm existimo, an Comitatus Hannoniæ ad prolem femineam devolveretur. Nam si Comitatûs heres non fuit Richildis, neque ulla ratione eum à patre adipisci potuit; dicere oportet, Hermannum etsi non suo jure, tamen nec propter conjugium fuisse Comitem, sed ab Imperatore Comitatum in benefi-

---

(*c*) Haud absimile exemplum præbuit seculum nostrum in Augustissimâ domo Austriacâ: res notior est, quam ut referri à me oporteat.

cium hereditarium accepisse. Ceterùm hic non de Allodiis, sed de Feudis in Hannoniâ disserimus.

Feuda quando hereditaria facta sint.

34. *De Origine Feudorum pro moribus Galliæ* scribens laudatus suprà Dadinus Alteserra, cap. 2 docet, beneficia seu Feuda, quamvis initio fuerint temporaria & precaria, ita ut dantis arbitrio revocari possent, tamen jam à Ludovici Pii tempore venisse ad liberos, requisito tamen principis consensu : tandemque ruente secundâ regum stirpe, Feuda omnia transiisse in perpetua dominia, jure patrimonii deinceps possidenda. *Haud dispari*, inquit, *fato, labente Imperio, Feuda in Germaniâ in hereditaria degenerârunt: & Conradus I, qui eodem ævo cum Carolo simplice vixit, primas de Feudis perpetuis & hereditariis leges condidit.* Hæc, & argumenta eò spectantia Dadinus. Sed an Feudi heredes filiæ? En ex eodem auctore responsum : *Feuda suî naturâ & Longobardorum moribus sunt masculina, & in his fæminæ non succedunt, nisi aliud ab initio actum sit; quia fæminæ Faidam Levare, id est, militare nón possunt.* Subjungit tamen, paulatim Feuda à rectâ lege descivisse adeo, ut feminæ Feudorum compotes factæ fuerint.

Nobiles feminæ ante Richildem Feudorum compotes fuerunt.

35. Ante Richildem jam Comitatus feodales non una femina obtinuerat. In origine Comitum Vindocinensium (*d*) id refertur : *Rainaldus Episcopus Parisiensis* (obiit is anno 1016) *filius Burcardi Vetuli. Post ejus mortem Fulco Nerra Andecavorum Comes honorem Vindocinensem tenuit. Hæres Burchardus cum Adelâ matre suâ de manu Fulconis Comitis honorem recepit. Mortuo Burchardo tenuit mater ipsius honorem* (id est, Comitatum Vindocinensem), *sociavitque sibi Fulconem filium suum ad honorem deserviendum.* Mitto

(*d*) Apud Continuatores Bouqueti, tom. XI, pag. 31.

exempla longinqua : quod noſtros Comites accedit propiùs, unum ex Geſtis Abbatum Gemblacenſium (e) propono. *Commiſſâ pugnâ in Florinis inter Lambertum Comitem, filium Ragineri Longi-Colli & Godefridum Ducem; cùm Lambertus ibidem gladiis cæſus accepiſſet vitæ finem, conjux ejus Gerberga nobiliſſima... annitente filio ſuo Comite Henrico, FEUDUM PROPRIETATIS SUÆ, quod Tortoſa vocatur, tradidit Gemblacenſi loco.* De eâdem Gerbergâ Balduinus Avennenſis (f) aſſerit, fuiſſe eam *Comitiſſam Lovanienſem de hereditate ſuâ.* Cùm tamen id neget De Vaddere (g), & longioris examinis res eſſet, Gerbergæ Comitatum prætereo. Monuiſſe ſufficiat, jam tum antiquis legibus aut conſuetudinibus feodalibus derogatum fuiſſe.

Ordo ſucceſſionis in Hannonia ex Francorum legibus videtur repetendus.

36. Quamvis autem conſtaret, in Imperio diutiùs quàm in regno Francorum id uſitatum, ut à Feudis arcerentur feminæ; nihil id tamen ad Hannoniam, quam provinciam Richildis proavi rexerant, antequam Germaniæ reges fecerant ſuam. Raginerus IV, de quo num. 7, terram patrum ſuorum auxilio Francorum

(e) Apud eoſdem Continuatores, ibid pag. 201. Auctor anonymus qui *De Geſtis Abbatum Gemblacenſium* ſcripſit, ſe Sigeberti Gemblacenſis diſcipulum profitetur.

(f) Apud Continuatores Bouqueti, tom. XI, pag. 376 : ſed hæ voces, *Gerberga verò erat Comitiſſa Lovanienſis de hereditate ſuâ*, abſunt à Chronico Balduini quod edidit Jacobus Le Roy, Antverpiæ 1693.

(g) De Vaddere de Origine Ducum Brabantiæ, parte I, cap. 12, in editione anni 1784, pag. 274 : ubi tamen obſervare debuiſſet id quod Continuatores Bouqueti, tom. XI in præfat. pag. CLXVI perſpexerunt, nempe *Allodiorum* nomine ſæpe deſignari beneficia hereditaria. Ceterùm iidem auctores ibid. pag. CLXXII aliis exemplis probant, nobiles feminas ſucceſſiſſe in *Feoda*, & earum *dotem* ex Feodis conſtitiſſe.

adeptus eſt, Hugonis Capeti ductâ filiâ. Veriſimile non eſt, hoc pacto eum in Hannoniam regreſſum, ut ſolos filios heredes haberet Neque in omnibus provinciis æqualiter viguit poteſtas Imperialis : licèt igitur alicubi filiæ Ducum aut Comitum à Feudis legantur excluſæ; argumentum, quod *à ſimili* vocant, hac in re haud magni momenti eſt. Filiarum juri adverſum cenſetur, quod apud Sigebertum in Chronico ad annum 1034 memoriæ proditum eſt : *Friderico Moſellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo dux, impetrato ab Imperatore etiam Moſellanorum Ducatu, in Lotharingiâ potentiùs principatur.* Idipſum totidem verbis (niſi quòd pro *Gothelo* ſcriptum *Gozelo* ſit) legere licet in Hiſtoriâ S. Laurentii Leodienſis (*h*). Sed præter illa, quæ modò obſervavi, notandum eſt, Ducatum Moſellanorum tum nondum hereditarium ab Imperatore habitum : audiatur Sigebertus ad annum 1045 : *Gothelo Dux obiit, cujus filius Godefridus, dum ei Ducatus Moſellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat* (*i*).

37. Ego de hac quæſtione ita cenſeo : non neceſſariò antiquas conſuetudines, antiquas leges feodales inſpici; non neceſſariò examini ſubjici morem alibi ſervatum : ſed prætermiſſâ ceterarum Provinciarum hiſtoriâ, iis quæ de Hannoniâ & Richilde tradita ſunt, unicè inhæreri poſſe. Filios patribus in principatum ſucceſſiſſe, vidimus. Si interruptus fuit ordo, & Raginerum III expulerit Archidux Bruno, conſequitur

Ante Richildem Comitatus Hannoniæ hereditarius; poſt Richildem heredes filiæ.

(*h*) Apud Martene in *Ampliſſima Collectione*, tomo 4, col. 1058.

(*i*) Meyerus ad annum 1005 narrat, non æquo animo tuliſſe Francos, quòd Othonis Lotharingiæ Ducis filiæ à poſſeſſione Lotharingiæ, defuncto patre, removerentur.

tantùm, ut judice Brunone, Feudo esset indignus. Feudum enim committitur, ut loquuntur, seu ruit sponte suâ auferturque ob feloniam, ob desertionem Domini, ob contumaciam & injuriam in Dominum, ob novos census inductos, prout ostendit Alteserra *De Origine Feudorum* cap. 16. Post Richildem Joanna & Margareta, ambæ Balduini VI filiæ, defuncto patre, Hannoniæ ex ordine præfuerunt, illa ab anno 1206, hæc ab anno 1224. Unde cùm Sigismundus Imperator anno 1418 (*k*) Joanni Bavaro Hannoniam concederet, exclusâ Jacobâ Comitis filiâ, idque ex hoc, præter alia capita, quòd Feudum Imperiale defectu prolis masculæ ad Imperium devolveretur; opposuêre se pro viribus Hannonienses, causantes morem patriæ: Hannoniam enim quantumvis feodalem Imperii, jam antea à mulieribus gubernatam, scilicet (præter Waldetrudem) à Margarita Constantinopolitana, Joanna, Richilde. An Waldetrudis rectè in exemplar poneretur, hujus loci non est examinare.

Richildis hæres Comitatuum.

38. De Richilde eos bene pronuntiâsse, sic ostendo. *Hæredem Comitatûs* eam scribit Ægidius Aureæ-Vallis, cujus verba & elogium num. 15 retuli. Balduinus Avennensis (*l*): *Postmodum fuit ibi Comes, Hermannus nomine, per uxorem suam Richildem.* Atque iterum de Richilde scribit: *Abbatiam & Advocatiam Montensem ac justitiam Comitatûs... tenuerat ab Impera-*

(*k*) Refert id Ruteau in Annalibus Hannoniæ, pag. 376. Anonymi Chronicon Ducum Brabantiæ typis editum Lugduni Batavorum anno 1707, pag. 157: *Patria Hannoniensis responsum misit scripto ad Dominum Joannem de Bavariâ... scribendo... de Hannoniâ, quòd... si in Imperio consistat, ... sæpius devoluta fuit ad heredes filias.*

(*l*) Chronicon Balduini typis Antverpiensibus editum anno 1693, pag. 8, & 11.

tore (*m*). Andreas Sylvius in Synopsi Franco-Merovingica, Seculi XII auctor (*n*) de Balduino Hasnoniensi Richildis nostræ marito ait : *utrumque Comitatum tenebat, Flandrensem per patrem, Hainonensem per Richildem Comitissam, viduam Herimanni Comitis Montensis, cui nupserat.* Edisserant autem nobis, quo pacto per Richildem Comes Balduinus fuerit, qui mulieres in Hannoniâ à Feudis remotas fuisse contendunt. De multis aliis auctoribus, qui jus successionemque Richildis vel apertè indicant, vel insinuant, egi § III. Huic sententiæ non adversatur Gislebertus, uti ostendi § V. Lambertus Schafnaburgensis, qui solus adversæ partis advocatus esse, sed difficulter tamen, posset, quo loco hac in re habendus sit, § IV exposui. Aliarum Provinciarum consuetudines Richildi non officiunt : utì enim jam dicere cœpi, utque observant Benedictini monachi, qui Bouqueti collectionem continuârunt (*o*), *Ordo successionis in Feoda pro moribus cujusque provinciæ diversus deprehenditur.*

39. Si quis tamen persuasum sibi habeat, saltem in Provinciis Belgicis eamdem successionis legem observatam; argumenta non desunt, quæ Richildis juri faveant. Narrante Gisleberto pag. 2, Hermannus & uxor Richildis, *defuncto Comite Valencenensi absque*

Scilicet Hanoniensis, Valencenensis, Einhamensis;

(*m*) Quòd ab Imperatore *tenuerit* Comitatum, id ejus juri successionis non obest, sed confirmat potiùs. Eo ipso quòd Feudum esset, solennem Imperatoris cessionem requirebat. Vide num. 41.

(*n*) Andreas Sylvius Archiprior monasterii Marchianensis historiam suam ad annum 1194 deductam inscripsit Petro Atrebatensi Episcopo consecrato circa annum 1184, vitâ functo 1203. Exstant laudata verba parte 2, lib. 3, pag. 797 Editionis Duacenæ anni 1633.

(*o*) In Præfatione, tom. XI, pag. CLXVII.

proprii corporis hærede, tam jure hæreditario, quàm coemptione factâ cum quibusdam nobilibus, qui in hæreditate illâ reclamabant, sibi in proprietatem Comitatum illum vindicaverunt, & ipsum Comitatum Valencenensem Comitatûs Hanoniensis & Castri-Montensis honori addiderunt. Delewarde & d'Outreman (*p*) aliique, quod sciam, omnes hereditatem non Hermanno sed Richildi tribuunt. Addit quidem Doutermannus nonnullos se Richildi opposuisse, hoc prætextu, quòd Feudi Imperialis expers esset mulier: sed vel hæc oppositio facta non est, vel contempta rejectaque fuit. De Einhamensi ditione, quæ Mathildis dos ejusque filiæ Richildis hereditas exstitit, egi num. 9 & 30. Quomodo post mortem Godefridi, Goscelone Duce Lotharingiæ geniti, duæ Godefridi Sorores Raelendis & Yda inter se contenderint *super Allodiis & Feodis*, tandemque Raelendis non ob sexum, sed pravo aliorum studio ab hereditate amota fuerit, Gislebertus pag. 8 litteris consignavit.

Jure suo provinciam administravit.

40. Denique ita se gessit Richildis, ut sibi certè visa sit non alieno sed suo jure Hannoniam gubernare; cujus rei non leve argumentum præbet narratio Anselmi Canonici (*q*) Comitissæ huic æqualis. *Contigit aliquando Hermannum Montis (qui Castrorum locus dicitur) Comitem cum Balduino Flandrensi jure jurando fœdus inire; cujus uxor, magis ex animi muliebris instabilitate, quàm justarum partium ducta favore simulata*

(*p*) Delewarde, tom. 2, pag. 293. D'Outreman in Historia Valencenensi, pag. 103.

(*q*) Anselmus apud Chapeavillum tom I, pag. 298. *Vitam Guazonis Episcopi*, cui coævus fuit, *veraciter sibi notam plenè descripsit*; uti judicat Sigebertus Gemblacensis de Scriptoribus Eccles. cap. 161.

ſimulata virum ſuum à perjurio velle ſolvere, re autem verâ ſe ejuſdem mariti ſui proditione polluere, Dei ſacerdotem (Wazonem Leodienſium Epiſcopum) *hujus ſceleris conſenſu conata eſt maculare : mandans ei per nuntium, quòd ſi Imperatori gratus eſſe velit, cum armatis veniat : locum & tempus, ubi & quando maritum eidem Imperatori præſentandum capiat, ſollicitè perquirat. Attonitus ille tanti facinoris novitate : hactenùs, inquit, nec famâ nec lectione compertum habuimus, uxorem aliquando maritum prodidiſſe.* Hæc Anſelmus, in cujus verbis nemo me monitore opus habet, ut principatum Richildis non tamquam à marito dependentem, ſed ipſâ ſolâ nitentem abſolutumque perſpiciat : alioquin non Comitem tantùm, ſed ſe ſuáque omnia iviſſet perditum Comitiſſa, ſi femineum conſilium ſecutus Wazo Hermannum in Cæſaris poteſtatem redegiſſet, feodali Hannoniâ haud dubiè privandum. Periculo autem amittendæ provinciæ ſe non expoſuiſſe putanda eſt mulier aſtuta & dominationis ultra modum avida. Poſt mortem ſecundi conjugis ipſa *cum Balduino filio ſuo in curiâ ſuâ officia hæreditaria inſtituit, Dapiferorum ſcilicet & Pincernarum &c.*, quæ pag. 8 Giſlebertus recenſet. Quid plura? Ipſa cum filio Balduino Allodia & Feuda *hominio ligio* ab Epiſcopo Leodienſi recepit, tenueratque *Hannoniam de jure dotalitii.* Si propter ſexum impedita non fuit, ut vel ſic Feudorum compos fieret, à quocumque tandem dotalitium conſignatum ſit; cur ob ſexum excluſa fuiſſet ab hereditate paternâ?



§. VII.

Hermannus tamen non ſolo jure uxorio Provinciam Hannoniæ adminiſtravit.

Hermannus etſi non Comitatûs heres, videtur tamen ab Imperatore inſtitutus Comes;

41. FEUDUM ſine inveſtiturâ ſeu ſolenni Feudi ceſſione & confirmatione non conſtituitur. Inveſtituram ſequitur fides, id eſt, jusjurandum fidelitatis, & hominium, quo vinculo beneficiarius principis homo ſeu Cliens fiat. (*r*). Cùm autem Juſtitia Comitatûs per Hannoniam & Feudum eſſet, & ab Imperatore teneretur, quemadmodum non ſemel ex antiquis auctoribus indicavi; quæri à me poſſet, utrúmne illud Feudum ſoli Richildi Imperator conceſſerit, an potiùs Hermanno ſimul & Richildi, ſic ut ambo jusjurandum fidelitatis dederint, ambo ſe Imperatoris Clientes profeſſi fuerint. Inmò illud ipſum videntur etiam quærere Domini Academici: nam, *quo jure Hermannus Comes fuerit*, dupliciter accipi poteſt. Alter verborum ſenſus eſt, quo jure Comitatum ſit conſecutus; alter, quo jure Comitatum ſeu provinciam adminiſtraverit. Dixi, oſtendique nullum Hermanno jus fuiſſe, ut Comitatum nanciſceretur. Quod ad poſteriorem ſenſum attinet, ſic ego exiſtimo, Hermannum, ubi eum Richildis jugali vinculo ſociavit, ab Imperatore Comitem inſtitutum, ſeu, ut aiunt, inveſtituram accepiſſe Feudorum, ac propterea non ſolo jure uxorio præfuiſſe Hannonienſibus, quamvis per eam & ob eam acceperit adminiſtrandam provinciam.

(*r*) Dadinus Alteferra de Origine Feudorum, cap. 7 & 8.

42. Jacobus Guisius cùm dixisset vol. 3, cap. 1, Hermannum Duce Thuringiæ progenitum, eique, quod non obiter legendum, ab Imperatore uxorem datam Richildem Comitis Hannoniensis filiam; indubitanter cap. 2. affirmat, ambos ab Imperatore accepisse Feuda Comitatûs (ſ). Et verisimile est, id in antiquioribus scriptis invenisse Guisium, qui ante volumen tertium præfatus erat, se nihil in medium producturum, nisi quod ante eum auctores litteris mandâssent. Deinde id quod num. 40 ex Anselmo Canonico Leodiensi retuli, Hermannum invitâ uxore cum Balduino icisse fœdus, evidenter indicat, etiam penes maritum potestatem fuisse. Scilicet Balduino se socium jungebat, ut Gotheloni rebelli adversùs Imperatorem auxiliaria præberet arma. *Id quod indicat Guisius,*

43. Consensum Imperatoris, ut Hermanno Richildis nuberet, probabilem quoque faciunt quæ post mortem viri accidisse, his verbis Meyerus scribit: *MLI defuncto Hermanno Comite Montensi, Balduinus princeps statim post Pascha magnis viribus invasit Hanoniam, quâ subactâ, Castri-Loci celebravit Balduini filii nuptias cum Richilde ejus terræ principe Hermanni viduâ Raginerii Montensium Comitis filiâ: hinc renatum cum Cæsare bellum, eò quòd Hanonia Imperialis esset juris* (t). *& aliunde fit verisimile.*

(ſ) De Guise: *L'Abbaye & droit de l'Eglise de Montz & la justice de toute la Comte par l'Empereur aussi ilz receurent.*

(t) Andreas Monachus Aquicinctinus apud Continuatores Bouqueti, tomo XI, pag. 365: *Balduinus Comes Flandrensis Insulanus cum filio suo Balduino rebellat contra Imperatorem Henricum, invaso Monte Castri-Loco: modus autem invasionis hic fuit; Hermanno Comite Montensi mortuo, Balduinus junior filius ejus Balduini uxorem duxit Richildem relictam Hermanni Comitis,* INCONSULTO IMPERATORE, *& sic Haimonensem invasit Comitatum.*

Contrà verò ob conjugium Richildis & Hermanni neque exortum bellum, nec finiſtri quidquam iis acceſſiſſe reperio. Quòd ſi prioribus his nuptiis annuerit Imperator, immò ſi ipſe (uti vult Guiſius) Hermannum Richildi dederit; in dubitationem adduci nequit, quin viro quoque Feudum tribuerit, ut nempe hominem fidelitatis vinculo obſtrictum haberet ſibi. Hoc poſito, non ſola uxor principatum geſſit, nec ſola communicavit poteſtatem. In hunc modum poſtquam effeciſſet Richildis, ut poſt funera Hermanni, Balduinus ſecundi tori filius ab Imperatore Feudum teneret; omnia gravioris momenti acta Balduino æquè ac matri tributa fuerunt. Giſlebertus pag. 8 : *Comitiſſa cum Balduino filio in curiâ ſuâ officia hæreditaria inſtituit.* Henricus Imperator Feuda Hannonienſia Eccleſiæ Leodienſi ſubjiciens, *igitur*, inquit, *præſente & annuente ipſâ Comitiſſâ Richilde cum filio ſuo Balduino, dedimus omnia hæc.* Giſlebertus iterum pag. 9 : *Theoduinus Epiſcopus ... allodia ... ipſi Richeldi & ejus filio Balduino in feodo ligio tenenda conceſſit.* Sed quid neceſſe eſt multa his ſimilia coacervare? nihil deinceps ſine filio agit mater, nihil ſine matre filius, priores partes tamen habente matre.

Reſpondetur ad totam Quæſtionem.

44. Itaque ad propoſitam Quæſtionem Reſpondeo. Uti per matrem Balduinus Comitatum Hannonienſem obtinuit, ſic per uxorem Hermannus; & quemadmodum obtento Comitatu, rempublicam ſuo jure filius geſſit cum matre, ita & ſuo jure Hermannum illam geſſit cum uxore.



APPENDIX

De prosapiâ Hermanni Comitis Montensis, ejusque in Hannoniâ possessionibus.

Hermannus Montensis non fuit nepos Balduini IV.

1. RESPONSUM meum, quod ita ut hactenùs repræsentatum est, arbitrio censuræque Illustrissimæ Academiæ obtuli, nonnemo ad illustrandam Historiam Belgicam accomodatius futurum fuisse judicavit, si plus diligentiæ adhibuissem, ut Hermanni Comitis prosapiam in apricum proferrem. Quamquam enim præfati Comitis genus & proavos novisse non adeò intersit ad Quæsitum Academicum, modò de hereditariâ Comitissæ uxoris successione convicta mens sit; tamen & sententiam meam corroboraret, & historiæ Belgicæ studiosum oblectaret notitia certa familiæ ex qua oriundus sit Comes noster, ne tamquam terræ, ut aiunt, filius perpetuam posteritati suæ labem apud animum nostrum inurat. Fateor ingenuè, penes me non esse, ut intricatum nodum dissolvam: duo tamen contra nonnullorum opinionem non vereor asserere; eum neque è Balduino Comite Flandriæ, quem à *pulchrâ Barbâ* cognominaverunt, traxisse genus, neque umquam fuisse advocatum seu patronum monasterii Alti-Montensis siti in *Pago Hainou*, constructique à S. Vincentio, uti narrat Baldericus (*a*).

nec fuit cognatus patruelis Balduini Montensis:

2. Ut è familia Balduini Flandrensis crederetur Hermannus, argumentum aliquod præbuit auctor anonymus Operis, quod sub nomine *Flandriæ Generosæ*

(*a*) Chronic. Camerac. & Atrebat. lib. 3, cap. 6.

doctissimus vir D. Paquot notis illustratum anno 1781 edidit, ubi pag. 16 hæc verba legere licet: *Balduinus de Richilde duos filios Arnulphum & Balduinum genuit..... A Domino tamen Lietberto Cameracensi & Atrebatensi Episcopo cum Richilde suâ excommunicatus est, eò quòd per incestum adulterio pejorem cognati sui Hermanni Comitis uxorem duxisset, &c.* Si ergo, inquiunt aliqui, Hermannus Montensis & Balduinus tam propinquè cognati essent, ut propterea conjugium Balduini cum viduâ Hermanni pronunciaretur *incestus adulterio pejor;* oportet, ut maximè propriè cognati essent, puta, patrueles seu fratris & sororis filii. Accedit quòd Georgius Fabricius (*b*) recensens Duces Bavariæ è gente Saxonicâ, postquam egisset de Brunone II Marchione Saxoniæ, florente ætate anno 998 fatis functo hæc habeat: *Ludolphus Brunonis II unicus filius Princeps & suâ & filiorum virtute celeberrimus, frater uterinus Henrici III Imperatoris. Uxor ejus Hilda, Balduini II Flandriæ Comitis filia: ex qua procreavit Brunonem Marchionem Saxoniæ,* HERMANNUM *Saxoniæ Palatinum, Othonem Ducem Saxoniæ ad Visurgim, Ecbertum Marchionem Misniæ & Turingiæ.* Quæ si combinaveris, videbitur *Hermannus Saxoniæ Palatinus* idem esse, qui Hermannus Montensis, Balduini cognatus: adde Richildis Comitissæ conjugem sic non malè à Guisio dici oriundum è domo Thuringicâ, cujus nempe frater Ecbertus in laudatis verbis Fabricii *Marchio Thuringiæ* fuisse perhibetur.

alioquin enim Hermannus Richildem

3. Speciosa hæc magis quàm solida aut vera argumenta sunt. In primis Georgius Fabricius Hildam filiam esse statuit Balduini II, scilicet cognomento *Calvi* anno 918 defuncti; cujus proin filia nequiit esse mater Hermanni Montensis, nisi Hilda provectis-

(*b*) Georgius Fabricius, Saxonia illustrata, pag. 335.

ſimâ ætate, certè ſexagenariâ major Hermannum pepererit. Hoc etiam admiſſo, jam Hermannus filius Hildæ & Balduinus Montenſis ſecundo & ſexto gradu mixto conſanguinei forent. Cur ergo propter iſtam tam remotam affinitatem cum Richilde Balduinus ſeparatus ab eccleſiâ fuiſſet, cui aliunde cum eâdem erat propinquus, uti oſtendi in Schemate pag. 14. Ponamus tamen liberaliter, à Georgio Fabricio Balduinum II exaratum pro Balduino IV, id eſt pro Balduino *Barbato*: tum quidem Hermannus & Balduiduinus Montenſis ſecundo gradu, ſecundum eccleſiaſticum loquendi modum, erunt propinqui, prout apparebit in ſubjecto Schemate (c), ſed donec è probatis monumentis oſtendatur, rem ita ſe habuiſſe, dicam Hermannum Ludolphi filium eſſe alium ab Hermanno Montenſi.

4. Si enim Hermannus ex Hilda nepos ſit Balduini IV; numquam Richildem duxiſſet, vel certè ejus matrimonio obſuiſſent leges eccleſiaſticæ; nec prætermiſiſſent Epiſcopi arguere criminis Hermannum, quòd Richildi ſibi propinquæ & conſanguineæ conjungeretur. Duxerat Raginerus V filiam Herimanni Einhamenſis, qui Herimannus filius fuit Godefridi Virdunenſis & Einhamenſis Comitis, matrimonio

utpote conſanguineam contra leges duxiſſet.


(c) BALDUINUS IV
Comes Flandriæ.

HILDA uxor Ludolphi.	BALDUINUS Inſulanus duxit Adelam.
HERMANNUS.	BALDUINUS Montenſis.

juncti cum Mathilde viduâ Balduini III, quartâ matre seu tritaviâ Balduini Montensis. Ergo Hermannus Montensis nactus communem cum Richilde originem Mathildem, fuisset cum uxore suâ tertio & quarto mixto gradu consanguinitatis propinquus. Atqui tamen nusquam legimus, Episcopos nuptiis sese opposuisse, quorum sollicitudinem, ne sanguine juncti etiam toro sociarentur, non semel jam exhibui. Proinde numquam inducar ut credam, nepotem eum fuisse Balduini IV, nisi proferantur testimonia, quibus repugnare temerarium foret. Genealogiam illam magna ex parte probavi suprà in responso: partem reliquam tradit auctor Flandriæ generosæ cap. 7 & 8 his verbis: *Balduinus Juvenis* (seu III) *duxit Mathildem filiam Herimanni Ducis Saxonum, de quâ genuit Arnulphum Juniorem... Mathildis verò post obitum mariti sui nupsit Godefrido Duci de Einham, ex quo suscepit tres filios, scilicet Gocelonem Ducem & Godefridum & Hecelonem. Arnulphus Junior... genuit... Balduinum* (ejus nominis IV) *pulchrâ barbâ &c.* Res clarior fiet in subjuncto stemmate (*d*), cui etiam Hildam

---

(*d*) MATHILDIS



Hildam inserui, non ex meâ, sed aliorum sententiâ.

5. Auctorem anonymum, qui *Flandriam generosam* litteris mandavit, non arbitror rejiciendum: at non indicat is, quantâ propinquitate cognati essent Herimannus Comes & Balduinus Montensis: neque enim vocabulum *Cognatus* unam tantùm certamque vim significandi apud auctores consecuta est, uti satis apparet in Glossario Domini Du Cange, sed pro quibusvis consanguineis usurpatur. Immò persuasum mihi habeo, non de Montensi sed de Einhamensi sermonem illic fieri, id quod jam pridem observavit Galopinus in notis operi subjectis, pag. 17, nequaquam hâc de causâ à Paquotio, prout alibi assolet, reprehensus. Et ne diutiùs rem protraham, dico in textu, qualis nunc exstat, vocem unam omissam, atque ita complendum sensum: *eò quòd cognati sui Herimanni* (Einhamensis) *NEPTEM uxorem duxisset.*

Locus objectus ex *Flandriâ generosâ* vel mendosus est,

6. Certè Herimannus Einhamensis cognatus erat Balduini Montensis, eodem sanguine genitus, frater uterinus Arnulphi II; Arnulphus autem abavus Balduini Montensis, uti jam mox ostendi. At ne quis opinetur, me pro libitu vulgatam lectionem emendâsse; illud adjungo, vel de Herimanno Einhamensi intelligendum auctorem, vel eum scriptoribus sibi æqualibus antiquioribusque contradixisse omnibus, novamque procudisse notionem historicam, quæ reliquas historias pessumdet; si nempe docuerit Hermannum & Balduinum Comitissæ Hannoniensis ex ordine conjuges cognatos fuisse & patrueles seu sororis & fratris filios. Argumentum huic opinioni jam à me oppositum ex eo quòd sic quoque consanguinei fuissent Hermannus & Richildis, non repetam, sed missum facio; cùm aliunde non minùs validè oppugnetur efficta illa cognatio.

vel auctor sibi & aliis repugnat

G

gradentibus, Hannoniam à Flandro subactam per nuptias Balduini, nec sine bello.

7. Si Hermannus Montensis nepos fuerit Balduini IV, consequitur, ut aberraverint omnes suprà laudati, aliique ejusdem sententiæ auctores, qui tradiderunt, Balduinum VI ambivisse nuptias cum Richilde eo fine, ut Hannonia & Flandria in unum cogeretur dominium: consequens etiam fit, ut aberraverit ipse auctor *Flandriæ Generosæ* dicens cap. 16: *Balduinus ..... uxorem duxit Richildem Comitissam Haynoënsem, ut illum etiam Comitatum per eam haberet:* item qui tradiderunt, Imperatorem descendisse in Belgium, ut ab invadendâ Hannoniâ arceret Balduinum. Cur Richildem Flander bello petiit, aut cur in Flandrum invasorem copias duxit Imperator, si jam tum in Balduinorum familiam reducta erat Hannonia? Tantíne intererat Balduini Insulani, amovere ab Hannoniâ sororis suæ Hildæ nepotem, ut propterea iram Imperatoris in se provocare voluerit? Adde, quòd imprudentiæ arguendus Imperator sit, qui Hermannum ex maternâ origine Flandrum Richildi junxerit, evidenti periculo, ne Hannonienses cum Flandris sociarent vires. Hæc & hujus generis alia, uti improbabilem faciunt Hermanni cum Balduino cognationem, sic simul evincunt, genuinam non esse lectionem *Flandriæ Generosæ.* Sed hæc hactenùs: procedo ad abbatiam Alti-Montis, quam nonnulli opinantur Hermanno Montensi Comiti concessam fuisse in beneficium; ex quo efficeretur, eum vel in Hannoniâ Comitem fuisse, vel certè non pauca possedisse in eâ provinciâ, antequam Richildi Comitissæ jungeretur matrimonio.

Monasterium Alti-Montis in Hannoniâ non Hermannum Montensem,

8. Totam rei historiam habemus ex Balderico Cameracensi chronographo, lib. 3, cap. 6 hæc scribente. *Est monasterium in pago Hainou, in villâ quæ dicitur Altus-Mons, quod.... Comitibus in beneficium tra-*

ditum est, & ad tantum casum paulatim devolvitur, ut monachis quidem egestate coactis, paucorum clericorum custodiæ mandaretur. Procedente verò tempore, contigit Arnulfo, patri Domni Episcopi, à Comite Herimanno in beneficio compensari, &c. Quæstionis cardo in eo vertitur, an hic Herimannus non sit alius ab Hannoniensi Comite, conjuge Richildis? In primis *Domnus Episcopus*, de quo loquitur Baldericus, est Gerardus de Florinis, Episcopus Cameracensium. Hujus pater Arnulfus, qui non exiguo tempore abbatiam tenuit, obiit eodem anno quo filius consecratus est Episcopus, adeoque anno Domini 1013 (*e*). Igitur jam dudum ante annum hunc Hermannus Hannoniensis Comes (si de eo sermo esset) abbatiæ advocatum constituisset Arnulfum, dudumque antè, quàm Raginerus V matrimonium iniverit. Oportet igitur ut homini seni nupserit Richildis, & qui vel natu major vel saltem diutiùs Comes fuerit quàm Raginerus Comitissæ parens. Prætereà hoc etiam, utcumque incredibile sit, admisso & concesso, jam evertitur sententia illorum, quibus Hermannus Montensis est filius Hildæ, nepos Balduini IV: hic enim non nisi anno 989 Comitatum Flandriæ obtinuit, teneræ admodum ætatis, ac proin anno 1013 non potuit habere nepotem jam pridem Comitem, atque eâ ætate virum, ut possessiones suas liberè abdicaret.

9. Quis itaque ille est Herimannus, à quo Monasterium Alti-Montis in beneficium Arnulfo concessum fuisse, scribit Baldericus? Respondeo, eumdem esse Herimannum, de quo paullò antè Baldericus egerat nempe lib. 3, cap. 5; alioquin illa capita ineptissimè conjunxisset auctor, & sine ulla

Sed Herimannum Einhamensem aliquando patronum habuit.

(*e*) Ita Auctores Galliæ Christianæ auctæ tomo 3, col. 19.

ratione de Alto-Monte ibidem sermonem intulisset: item eumdem esse Herimannum, de quo mox cap. 9 chronographus mentionem facit, scilicet Herimannum fratrem Ducis Godefridi, Herimannum Einhamensem, qui adversùs Lambertum Comitem Lovaniensem & Raginerum V Comitem Hannoniensem gesto bello, tandem *ad integrandam amicitiam*, filiam suam Raginero V uxorem dedit, matrem aliquando futuram Comitissæ Richildis. Legenti locis citatis Baldericum vel sola connexio rerum persuadebit, non de Montensi, sed de Einhamensi Herimanno avo materno Richildis omnia intelligenda esse.

Abbatiæ non semper commendabantur Comiti.

10. Forsitan dubitabit quispiam, quomodo Ardennensis & Einhamensis Herimannus monasterii Alti-Montensis in Hannonia siti advocatus seu patronus fieri potuerit: at mirari desinet, si in memoriam revocet, Godefridum Ardennensem Hannoniæ Comitem aliquando fuisse, quin & Lotharingiæ Ducem. Præterea non semper provinciæ Comitibus commendabantur monasteria; nam auctores Galliæ Christianæ auctæ, tomo 3, col. 115 referunt, Ratherum Laubiensem monachum, qui Episcopus Veronensis, postea Leodiensis, iterumque Veronensis fuit, plures abbatias ad victum & cultum impetrâsse, Amandinam, Alnensem, *Alti-montensem &c.*, quem obiisse statuunt anno 974, antequam Herimannus Comes (malè illi Hannoniensem vocant) abbatiam hanc Arnulfo de Florinis in *beneficio compensavit.* Atque hæc sunt, quæ de prosapiâ & possessionibus Hermanni Montensis mihi discutienda oblata fuerunt, quæ æqui bonique consulat Lector, utpote neminis carpendi studio, sed indagandæ veritatis ergo disputata.

FINIS.



